Turin. R. Museo di antichità

TAURINENSES

A. PEYRON

1826-27

PAPYRI GRAECI

REGII TAURINENSIS MUSEI AEGYPTII

EDITI ATQUE ILLUSTRATI

AB

AMEDEO PEYRON

Regiae Scientiarum Academiae Taurinensis Socio

TAURINENCES

PARS PRIMA

Excerpta ex volumine XXXI. Actorum R. Academiae, quibus titulus
Memorie della Reale Accademia di Torino.

TAURINI

EX TYPOGRAPHIA REGIA

1826

PAPYRI GRAECI

REGII MUSEI AEGYPTII TAURINENSIS

EDITI ATQUE ILLUSTRATI

AB

AMEDEO PEYRON.

Quum soleant docti viri monumentum aliquod edituri illud summis laudibus commendare lectoribus, ut et operis a se impensi gratiam ineant, et monumento gloriam celebrationemque, quantum in se est, concilient; tum mihi graecos Papyros Taurinensis Musei Aegyptii edere paranti omnem praefandi necessitatem exemptam esse putabam. Illa enim in lucem profero cimelia, quae supra annos bis mille scripta, eaque autographa, nos intra remotae antiquitatis viscera collocant; sunt Aegyptia, illumque adeo nobis proponunt populum, qui religionis, civilium ordinum, cultusque omnis, et humanitatis permultis nationibus dux et auctor fuit, tum in externo Persarum Lagidarumque dominatu multum pristinae dignitatis retinuit; tandem ea aetate Papyros vulgo, qua Europa universa maximo studio flagrat Aegyptiarum rerum, ut nedum commendatione, verum excusatione potius uti debeam, si meam fidem de graecis Papyris quantocius edendis ante annum datam maturius non liberaverim. Sed quamvis tanta sit Papyrorum praestantia, vereor tamen, ne quis audiens Papyrum omnium principem exhibere acta litis de domo Cholchytas inter et Hermiam controversa, ceteros

vero esse vel privatorum contractus, vel supplices libellos, quibus vulgares homines illatas iniurias deprecaturi magistratus adibant, vereor, inquam, ne ille ineptis chartis haec monumenta deputet, nostramque sortem culpet, quae quando hanc metropolim voluit Aegyptiis spoliis ditare, non opimis insigniverit, sed impediverit vulgaribus. Atque utinam edenda mihi contigissent Pleiadum poëmata, vel acta Musei Alexandrini, vel historiae, quae omne Aegyptium aevum complexae essent! Iam quando Taurinensia monumenta non inani cogitatione fingere licet, sed, uti fors obtulit, sunt accipienda; me tamen in lucem proferentem acta litium, contractus, aliaque his similia Ptolemaicae aetatis, fortunatum credo, quippe cui contigit res non levis momenti enarrare. Hisce enim prima fronte humilibus Papyris constat sua utilitas, constat, inquam, et latissime patet in Aegyptiorum religionem, iurisprudentiam, reipublicae formam, magistratus, et mores, atque adeo eorum ope philosophia, quod aiunt, Ptolemaicae historiae illustratur. Video me iudicium tulisse de Papyris honorificum, quod paucis evolvere iuvat, tum ut contraria praeiudicia praeoccupem, tum ut declarem quid mihi in Papyris enarrandis praestandum proposuerim, aliisque paria monumenta illustraturis propositum esse debere credam. Qua praefationis parte defunctus, accedam ad ipsos Papyros, eorumque originem et dialectum demonstrabo, meaeque tandem editionis rationes exponam.

Illud in primis certum constituo, historiae causas pari cum historia, eademque in laude esse ponendas. Quid enim est historia? Bellorum, pacis, induciarum, foederum, seditionum, commutationum rerum publicarum, aliorumque huius generis eventuum certa narratio a gratia et simultate adeo aliena, ut in ea nihil falsi obtrudatur, nihilque praetermittatur, quod verum sit. Maximam rem dixi, nudam scilicet veritatem factorum. Atqui praeter hoc officium, quo historia testis temporum et vetustatis nuncia ad curiosa hominum ingenia explenda potius est comparata, aliud ipsi munus incumbit, ut lux sit veritatis et vitae magistra, quod ad utilitatem

spectat. Praeclare enim Piso apud Ciceronem *de Finibus* V. 2. de summo, quo nonnulli incendebantur studio invisendi Athenarum loca summorum virorum frequentia celebrata, aiebat: *atqui ista studia si ad imitandum summos viros spectant, ingeniosorum sunt; sin tantummodo ad indicia veteris memoriae cognoscenda, curiosorum.* Atque Tullio haec scribenti illa mihi videntur mente obversata, quae de historiae ad omnem late vitam utilitate Thucydides aliique veteres litteris mandarunt profitentes, historiam esse aptum paratumque exemplar, in quo homines omnium exemplorum documenta intuentes futura providerent suasque actiones recte informarent, quum in rebus humanis iidem ex intervallo casus contingant, ac paribus ex causis pares existant effectus. Id enim est caput civilis prudentiae videre itinera flexusque rerum publicarum, ut, cum praeteritarum aetatum experientia edocti sciamus quo quaeque res inclinare soleat, possimus eventus in tempore retinere, aut ante occurrere. Quis vero credat tantum munus praestitum iri ab historia, si haec priscorum annalium ritu sola tempora, homines, resque gestas exponat, nudam scilicet segetem ac materiam, quin factorum causas expromere satagat? Quamobrem praeclare idem Cicero perfectae historiae imaginem adumbrans aiebat: *oportet in rebus gestis declarare non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo; et quum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis; hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam qui fama ac nomine excellunt, cuiusque vita atque natura.* Porro causae, quae in eventus influunt, aliae externae sunt, aliae internae. Primas utpote cognitu faciliores, neque ad rem mihi propositam attinentes, mitto. Internae vero positae sunt in religionis natura, in constitutione reipublicae, magistratibus, legibus, quibus accedunt ordines militiae, commercium, aliaque, quae quotidiano usu civium animos sensim sine sensu afficiunt, eosque vel temperando, vel incitando ad futuros eventus praestandos comparant. Singulas ergo partes, ex quibus publica res coalescit, perpendat atque exponat historicus necesse est, si

velit varios mutationum cursus certa ratione sequi et acute aestimare; in iis enim delitescentia deprehendet initia et incrementa maximorum eventuum, quae vel a fortuna repeti solent absurdissime, vel percommode adscribuntur proximae alicui et maxime insigni causae, quum interea haec causa nihil fuerit, nisi effectus superiorum causarum. Ratum enim habeo maximas rerum conversiones non ab uno alterove homine vel causa repetendas esse, sed a multis cum hominum tum rerum adiunctis feliciter conspirantibus. Iam qui in causas historiae inquirat, is res gestas concinne inter se connectet, cum rebus gestis apte consociabit homines, historiam conscribet nativo suo colore splendescentem, ex minimis enim rerum adiunctis vita et color adsciscitur historiae; tandem illustria proponet exemplorum documenta, quae homines cum fructu meditabuntur. Ratum itaque sit a causarum explanatione pendere praestantiam atque utilitatem historiae.

Quae quum ita sint, maximam Taurinensibus Papyris utilitatem constare affirmo. Etsi enim nulla publica facinora narrent, si tamen excipias motum aliquem primis Epiphanis annis exortum in superiore Aegypto; at multa de magistratibus, de honorum cursu, de legibus, de religione, nos edocent, praesertim vero de iudiciali ordine, ac de reipublicae temperatione, quibus in rebus internae eventuum causae positae sunt. Quarum rerum notitia eo pluris facienda est, quo gravior erat ignoratio nostra. Enimvero nullus historicus aetatem tulit, qui data opera res Aegyptias unice exponendas sibi sumserit; unus Polybius, qui ex intervallo apposite describebat Ptolemaeorum historiam, mutilus ad nos pervenit. Quare Lagidarum facinora, quasi dissipata rudera maximi monumenti, colligenda sunt ex scriptoribus, qui aliorum populorum res gestas describentes eatenus Aegyptias res attigerunt, quatenus istae cum historia sibi proposita cohaerebant. Id optime senserunt quotquot Ptolemaeorum annales litteris prodiderunt; hi enim facta narrarunt, intimas causas persaepe ignorarunt. Interea si qua historia cognitu dignissima est atque ad civilem prudentiam utilissima, illa

est Lagidarum, quippequae gravissimum problema solvendum nobis offert, quod proponere lubet.

Saepe quaesitum est, quibus institutis atque artibus possent principes imperium recens armis partum tutissime retinere, illudque ad arbitrium et nutum componere. Quod argumentum in varias subinde easque discretas quaestiones dispertitum est pro varia cum principum tum populorum indole. At mihi consideranti omnia temporum rerumque adiuncta, in quibus Ptolemaeus Lagi filius imperium sibi delatum accepit, vix alia quaestio visa est gravioribus difficultatibus obsita, atque intricatior istâ, quibus tandem institutis Ptolemaeus sibi et posteris regnum conderet ac firmaret.

Enimvero ex duobus populi ordinibus, iisque dissimillimis, nova illa natio conflabatur, ex Graecis, et Aegyptiis. Graeci, varia scilicet Macedonum et Asiaticorum colluvies, perfectis bellis feroces, etiam in pace efferatos militia animos gerebant; novas sibi sedes in Aegypto quaerentes, novis etiam rebus studebant; fundos, amplissimumque statum efflagitabant a rege, praeterea honores et auctoritatem. Contra, Aegyptii veteribus institutis, quae religio et longa dies sanciverat, addictissimi, a novis rebus quam qui maxime abhorrebant. Ita enim comparati erant ordines civiles, ut seu in publica seu in privata vita civium omnia definierint, sic varias populi classes, earumque munera et artes, quas transcendere nefas erat, sic magistratus, leges, fundorum dominium, militiam; adeo ut Aegyptii, domi militiaeque nihil, quod sibi liberum permissum fuisset, haberent, sed omnia ad praestitutam formam exigere tenerentur. Iam intra harum consuetudinum carceres educati, nihil esse naturae vel decori consentaneum iudicabant, quam quod nationis usus a remotissima aetate tradidisset. Semel ac vero animus hoc praeiudicio imbuitur, multa quidem ingeniose aestimare potest, multaque sollerter perficere intra angustum orbem, cui assuevit, sed omnino fit impar aestimandis novis veritatibus, quas vel mutata temporum adiuncta, vel etiam ipsa ratio suadet. Dixerim legumlatores Aegyptios, quod iterum inculcasse iuvabit,

non tantum res ipsas, sed etiam minimos rerum modos levissimaque adiuncta sollemniter consecrasse; hinc contigit, ut populus consuetudine ductus substantiam et modos, omnia iuxta aestimaret, nec distingueret quid in quaque re maximum quidve minimum esset; hinc omnium perinde consuetudinum tenaces sive illae graves, sive levissimae essent, haud facile patiebantur ad novos mores traduci.

Eiusmodi erant duo populi, quos Ptolemaeus moderandos, atque in unam nationem consociandos susceperat. Graecos ne Aegyptiis obnoxios fecisset? Atqui milites recentibus victoriis elati, imperio assueti, aegre tulissent victis parere, ac proprios dediscere mores, ut se novis religionibus, legibus, magistratibus attemperarent. Accedit quod cum regem suis meritis obstrictum tenerent, vix iste tanto dedecore repensasset illorum virtutem, praesertim quum non sine maximo amittendi regni periculo id facere potuisset. Ergo ne graecorum imperio ac moribus subdidisset Aegyptios? Eos quidem dicto obedientes habuisset in urbe Alexandriae, finitimisque Nomis; at reluctassent incolae superioris Aegypti, quo nequibant novae coloniae vires efficaciter pertingere. Ceterum Ptolemaei male sibi consuluissent, nisi blanditi fuissent Sacerdotibus. Hi enim ex priscis suis institutis supremam non tantum in sacris, verum etiam in civilibus rebus, auctoritatem sibi vindicabant, quippequi contendebant a se instituendos esse reges, consecrandos, et in deos referendos, atque adeo se regum esse socios, omniumque consiliorum participes. Numquam vero eorum animos sibi conciliasset, nisi multum praeteritae auctoritatis ipsis indulsisset, eorumque dominia et iura civilia rata habuisset. At regi periculosum erat subditos in iura sua inducere. Quod vero ad religionem attinet, novimus indulgentissimos fuisse graecos; contra constat Aegyptios tanta superstitione irretitos fuisse, ut religioni ducerent, allium, ut aiunt, et cepe violare. Graeci quidem fucum sibi et Aegyptiis facturi antiquam suorum cum Niliacis Diis cognationem renovarunt. Verum Iupiter ceterique Dii posteaquam a severissimis sexagesimae alterius

spherae consessoribus discesserant, ut in Olympo laetiores sibi sedes quaererent, tot tantaque perpessi fuerant a poëtis, mythologis, sacerdotibus, ac plebe insensilia omnia ad sensiles formas absurdaque monstra detrudente, ut vix se invicem agnoscerent. Iupiter Ammonem arietino capite insignitum non sine risu demirabatur, austerus Ammon despiciebat Iovem multis facinoribus manu, ventre, pene patratis famosum; Sathe integerrima veritatis custos ferre nequibat garrulitatem Iunonis multa imprudentissime narrantis, ac, licet multos emeritae viros, conquerentis tamen amores coniugis; Ptah vix conspicatus comparem suum Vulcanum risit tardipedem, risit etiam Vulcanus unipedem Ptah, multaque deinde collocuti, in eo tantum se pares deprehenderunt, quod alter pede uno saltitans, alter utroque claudicans peropportuni essent Deorum hominumque risui movendo. Sed quo tandem stupore perculsos fuisse credemus graecos homines, qui Iovem deosque cunctos a Praxitele, Phidia, Apelle seu pictis tabulis, seu caelo expressos admirari soliti suis in templis, in Aegypto Ammonem ceterosque Deos spectatum admissi, quid tandem in sacratiore templi parte videbant? *Cum Sacerdos veli aliquantum contraxerit, tamquam Deum ostensurus, magnam suppeditat occasionem irridendi numinis. Neque enim intus invenitur Deus, qui quaerebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua eiusmodi bellua, quae templo quidem est indigna, sed antro, spelunca, aut coeno dignissima. Apparet Deus Aegyptiorum bellua, quae super stragulam purpuream volutatur* (1). Diversa, inquam, ratio utriusque religionis multas Ptolemaeis afferebat difficultates, immo dixerim ingentes; nam quis nesciat religione totam fere rempublicam contineri? Accedit linguae et scripturae dissimilitudo. Quemadmodum enim commercio sermonis homines ad colloquia trahuntur, ac colloquentes pangunt amicitias veluti ex consensu consiliorum ac voluntatum, componunt teneros amores, celebrant coniugia, coniugum

(1) Clem. Alex. Paedag. III. 2.

autem ac liberorum pignoribus nihil aptius est ad animorum coniunctionem valide confirmandam; ita homines lingua dissimiles seorsum stare, mutuas alere suspiciones, suspiciosos ducere vitam sollicitam, ad contumeliam omnia accipere, tandem in odia, iniurias, caedes excedere. Maiora adderem, nisi viderer iam satis superque proposuisse problema gravissimum, quod mihi obversatur consideranti Aegypti conditionem, quo tempore Ptolemaei novum sibi regnum condebant.

Atqui Taurinenses Papyri licet humiles videantur, nihilque nisi privatorum iniurias, lites, contractus, epistolas sistant, multum tamen conferunt ad hanc quaestionem solvendam. Atque hic animus erat omnia enumerare, quae Papyri suppeditant, simulque conspectum tum regni tum consiliorum Lagidarum exponere. Primum omnium dicere constitueram Ptolemaeos graecis hominibus peculiarem legislationem ex variis graecorum populorum consuetudinibus conflatam proposuisse, Aegyptiis vero permisisse, ut suis legibus uterentur, posset tamen Aegyptius homo lubens et volens ad graeca instituta vivere, at caverent omnes, ne alteram cum altera legislatione confunderent, ac pro lubitu in una eademque lite vel syngrapha permiscerent; praeterea Ptolemaeos identidem per intervalla varias sanxisse leges, quibus Aegyptias consuetudines, ut ita dicam, levibus praeliis fatigarent, eorum iura, contractus, et instituta modo coërcendo, modo certis formulis subiiciendo, ut Aegyptii horum impedimentorum pertaesi graeca instituta volentes amplecterentur. Una haec notio quantum valeat ad illustrandam internam regni constitutionem, ad consilia Ptolemaeorum declaranda, quisque videt. Huiusce non tam coniecturae, quam certissimae veritatis testes darem contractus, quorum alii graeco, alii aegyptio more conscripti sunt; darem hinc indices populares aegyptios, inde graecos Chrematistas, Praefectos, ac Praefectorum consessores; darem aegyptiam linguam in aegyptiis syngraphis ita ex lege adhibitam, ut eas graece conscriptas ipsa lex exauctoraret; darem Registrum utrumque Trapeziticum et

graphicum, quod ex lege Ptolemaei aegyptiis contractibus apponi iusserunt, ut clandestina contrahendi facultas in publicum extraheretur; commemorarem varium ordinem, quo lis pro vario foro seu graeco seu aegyptio instituenda erat. His aliisque animadversionibus defunctus ad regni administrationem gradum facerem. Porro haec erat militaris. Enimvero quum Aegyptus universa in tres partes tributa fuisset, cuique parti praeerat Epistrategus, tum proximus ab isto Strategus, ut nomina ipsa ultro prodant militari imperio Nomos paruisse. Neque tantum qui internas Nomorum rationes curarent militaribus nominibus donabantur, verum etiam Praefectus, Ἐπιστάτης dictus, qui iudicialis ordinis principatum tenebat, militaribus honoribus decorabatur, tum plerique consessores qui vicariam Praefecto operam navabant in litibus definiendis, gradibus etiam militiae aucti erant. Nec mirum; nam priscis temporibus iidem cives erant ac milites, inde militares regnorum temperationes ubique obviae; ceterum haec regiminis forma peropportuna erat Ptolemaeis, qui regnum armis partum non sine prudenti armorum auctoritate firmare satagebant. Cuiusmodi vero esset haec militia ex eo augurarer, quod hinc video milites mercenarios atque exteros, quod arguit subditos male fidos, aut imbelles; inde tot mihi occurrunt militiae gradus, quot arguunt exercitum absolutissimum; accedit quod nonnulli militaribus honoribus aucti nulla stipendia merebant, fortasse nec meruerant umquam, quare proceres Martiis nominibus quasi iam vilescentibus haud contenti nova exoptarunt, ut adeo salutarentur Custodes Corporis Regii, Duces Custodum, Amici, Principes Amici, Cognati regis. Scilicet videmus militiam hinc evectam ad meram honorum ac nominum dignitatem, inde vero depressam ad humilem lucrosae artis conditionem. Quis ergo non constituet maxime depravatam fuisse, seu evasisse ignavam in hostes, ferocem in suos? Hinc frequentes motus ac seditiones, quas ambitiosi proceres existimantes numquam satis ambitioni suae inservitum esse excitabant, ac quaestuosi milites colebant; hinc tot illa incommoda, quae sponte oriuntur

quoties veluti militiae praemia proponuntur hinc mendax falsi honoris imago, inde turpis quaestus praedae ac rapinae affinis. Verum ab hac militia, quam Alexandrinam appellaverim, secernenda illa videtur, quae fines regni tutabatur in superiore Aegypto contra Aethiopes et Arabes; namque hanc non tam pro dynastia Ptolemaeorum arma ferentem, quam pro suis laribus et focis, auguror charitate patriae incensam invicta pectora obiecisse perpetuis hostibus. Hinc ad regni administrationem regrediens exponerem quidquid ad publicas fundorum tabulas pertinet. Dicerem quam accuratissime Aegyptum universam in sectiones seu maximas uti Nomorum, Urbium, et Pagorum, seu minimas Locorum et Ararum divisam fuisse, singulas vero partes habuisse Scribam, sic Loca Loci-Scribam, Pagos Pagi-Scribam, tum Nomi metropolim Regium Scribam, qui tabulas fundorum diligentissime confectas servarent, ad quarum fidem definirentur lites; hanc vero institutionem ab antiquissimis temporibus repeterem. Opportune etiam disserere possem de cubitis, quatenus erant mensurae superficiei. Tandem non praetermitterem, quod maxime observandum est, conniventibus Ptolemaeis turbatos fuisse varios ac status hominum ordines. Scilicet quum ex priscis institutis quaeque familia cogeretur usque persistere in eo officio vel arte, quam a maioribus suis sortita fuerat, nec spem ullam haberet non modo ad altiores umquam gradus evadendi, sed ne ad alias quidem artes aliosve quaestus se transferendi, Ptolemaei rati conciliandum sibi esse animum inferiorum ordinum, ac praestantiorum superbiam deprimendam, facile audaciam dissimulabant illorum, qui ad maiores ordines migrabant; ex quo factum est, ut crebriores fierent migrationes, ac veteres ordines turbarentur, adeoque novus procerum ordo a Ptolemaeis inductus confirmaretur ac primas in statu facile obtineret. Alia atque alia pro re nata adderem illustraturus quidquid ad reipublicae curationem pertinet, unde ad religionem mihi digrediendum esset. Multae revera Ptolemaeis sese offerebant difficultates ex dissimilitudine religionis ortae; at multiplici via ipsis felicissime

occurrerunt. Primo enim rati sacerdotes non adversa fronte urgendos, sed fallendos esse, sacra aegyptia ad rempublicam pertinere decreverunt; quare curabant Epistrategos sollemnibus pompis interesse, Deorum templa seu vetusta reficiebant, ornabant omni cultu, seu nova dedicabant, atque adeo se inter religiones et ritus inseruerunt, ut in Deos a sacerdotibus referrentur. Quam nominis augustissimi dignitatem divulgaturi constituerunt sacerdotia Ptolemaeorum in Protocollis Syngrapharum esse recensenda; neque id tantum, sed, ut de divinis honoribus certius sibi cautum esset, novum Sacerdotium sibi in graeca ac fidelissima urbe Ptolemaidis crearunt. Praeterea, ut invidiae semina inter sacerdotes iacerent, permiserunt hierarchicos ordines paullo inter se turbari, quo spectat facultas Cholchytis facta, ut ex Memnoniis, ubi habitare cogebantur ex sacris institutis, se in urbem Diospolis inferrent, seque nobilitarent, licet contra tantum ausum Sacerdotes Ammonis nullum non lapidem moverent. Ad hunc modum sacras leges provide turbantes, ac sacerdotes sacerdotibus opponentes eorum vim atque auctoritatem infirmabant. Eam quidem iam valde imminutam fuisse persuasum habeo ab illis Aegyptiis regibus, qui armis tractandis assueti ac partis victoriis elati certe animos gerebant indociles pati incommodam sacerdotum auctoritatem; at fortasse alii imbelles iterum iugum imperii acceperant; tum, ut ut haec sint, in theocratico regimine nimis erant pollentes sacerdotes, quam ut exteris regibus merito suspecti esse non deberent. Quacumque vero arte, sive honoribus, sive opibus, Lagidae illexerint Sacerdotum animos, certum est rem feliciter ipsis cessisse. Video enim regnante Evergete II. Paraschistas et Cholchytas de rebus ad sacra sua munera pertinentibus adivisse regem, et disputasse apud graecum Praefectum; video maiores sacerdotes libellum regi obtulisse sive conquerentes iniurias sibi a militibus illatas, sive accusantes Cholchytas; video contractus, quibus iura liturgiarum et collectarum vendebantur, Trapezitae seu regiae auctoritati oblatos; video patienter tulisse tributa, tum, si relevarentur, humiles gratias egisse. Res ergo Lagidis contingebat

ex voto. Sed labem aegyptiae superstitioni graviorem allatam fuisse arbitror a graeca philosophia. Quamvis enim prisca aegyptiorum numinum cum graecis Diis cognatio renovata fuerit, ac publica monumenta nec non Papyri Niliacos Deos appellationibus Hesiodeis reddiderint, ingens tamen inter utramque theogoniam intercedebat discrimen, compluresque Dii sequiore aetate nati educatique desiderabant pares suos. In tanta ergo discrepantia deorum, religionum, rituum, festorum dierum, ac sacerdotiorum, Ptolemaei unam habebant sequestrem philosophiam, quae tum Aegyptios tum Graecos a crassa rerum sensilium superstitione traduceret ad metaphysicas essentiae et attributorum Dei notiones, in iisque veluti in communi theologia consentire omnes iuberet. Quapropter Museum cum ceteris scientiis, ac literis, tum philosophiae aperuerunt in principe urbe Alexandriae, moxque bibliothecam dedicarunt. Praeterquamquod enim censuerunt literarum humanitate mollienda esse ingenia Alexandrinorum, scilicet coloniae militaris, atque ad studia excitandos esse Aegyptios, qui ab iis semper abstinuerant, utpote a singulari sacerdotum privilegio, sperarunt etiam fore, ut hac ratione theologia utriusque populi facilius consociaretur. Quod adeo verum est, ut, nedum philosophos, verum etiam ipsos poëtas Alexandrinos multam collocasse operam videamus in fabulis subtiliter enarrandis vel ex astronomiae legibus, vel ex naturae cognitione, demonstraturi priscos homines seu graecos seu aegyptios veras easdemque sapientiae ac Deorum ideas habuisse, quae temporis progressu larvatae atque adscititio habitu mythorum obductae varias quidem specie tenus pepererant religiones, ex eodem tamen fonte eademque doctrina ortas. Quot vero monstra ac sententiarum divergia produxerit humana ratio sibi permissa, nec bene expedita a praeiudiciis praesentis superstitionis graecae atque aegyptiae, praesentiunt omnes; dixerim ex accisis duarum theogoniarum stirpibus alias atque alias recrevisse, ex quibus tandem extiterunt Gnosticorum varia atque absurda scita. Id interea percommodum contingebat Ptolemaeis, quod, variatis hominum sententiis de religione,

minores sibi difficultates obiicerentur a sacrificulis. Ipsi etiam sacerdotes probe intelligentes longe alia ratione sibi agendum fore cum doctis et cordatis viris, atque cum imperita multitudine, quam a scientiis excolendis semper repulerant, eique adeo facile erat quidquid collibebat propinare, prudentissimum duxerunt ab intolleranti superstitione paullo decedere, temporibusque inservire.

Praeterea dixissem . . . at verius dicam multa me iam chartae commisisse, ut Lagidarum regni conspectum, atque intimas causas, quibus imperium primo firmatum, tum labefactatum fuit, exhiberem; sed expertum vidisse, me multiplici de causa imparem adhuc esse rei tantae tamque involutae explicandae. Quamvis enim nonnulla ex hodiernis Papyris perspecta habeam, alia tamen adhuc me latent, praesertim mutuus nexus inter varia regni officia; nam non tantum partes omnes, ex quibus respublica coalescit, exponendae veniunt, verum etiam nexus, quibus alterae alteris coniunguntur. Praeterea, quum constitutio regni neque unius temporis neque hominis sit, debuissem ordine persequi quanta post primum Lagidam in singulos reges legum atque institutorum facta fuerit accessio; iam quo tandem modo id praestare potuissem, qui solos Papyros habeo ad Philometorem eiusque fratrem Evergetem II. pertinentes? Nec minor oriebatur difficultas ex ignoratione aegyptiorum temporum; horum enim certa notitia praemittenda fuisset, ut recte discerni atque aestimari possent mutationes subinde a Lagidis inductae. Haud me praeterit multa de aegyptiorum legibus et consuetudinibus memoriae prodita fuisse ab Herodoto et Diodoro Siculo, sed meliora et maiora exspecto a cimeliis, quae in dies illustrantur. Deficientibus ergo monumentorum praesidiis, illud mihi supererat, ut ad coniecturas confugiens divinando supplerem quidquid desiderabam. Sed hoc fuisset fingere historiam, non exponere. Vidi, neque enim in tanta recentiorum historiarum copia mei peregrinantur oculi, vidi, inquam, quosdam, qui posteaquam ex veteribus libris perpaucas de aliquo populo notiones collegerint, eas adeo amplificant atque exornant, ut tandem iustum existat volumen,

quod illius populi indolem, commercium, reipublicae formam, fata, copiose ac fidentissime persequatur. Hos equidem arbitror non tam voluisse sinceram conscribere historiam, quam opportunam ad disserendum materiam quaerere, ut sua placita de rebus politicis, superstitionibus, aliisque possent pro re nata expromere, maxime vero elegantia stili ad venustorum scriptorum laudem accedere Atque illi, per me enim licet, venustissimi sint, atque elegantiis pigmentisque verborum condecorent absurdissimas quasque divinationes; caveant tamen, ne sui ingenii documenta daturi praeoptent aegyptias res, facile enim continget, ut a monumentis, quae in dies in lucem proferuntur, erroris arguantur, ac vix brevi gloriola perfrui possint. Quae quum ita sint, equidem contentus praestantiam Papyrorum indicasse, simulque scopum, quem in iis illustrandis mihi proposuerim, supersedeo ab imagine regni Lagidarum, atque ad originem nostrorum Papyrorum declarandam digredior.

Taurinenses Papyros illos esse, quos Eques Drovetti summa cura collegit, norunt omnes. At unde nam istos habuit? Antequam huic quaesito faciam satis, brevis notitia Papyrorum est praemittenda.

Graeci Papyri Taurinenses sunt tresdecim. Ceteris eminet Papyrus I, qui exhibet acta litis de domo Thebis sita, eaque controversa inter Hermiam Thebanum civem, et Horum eiusque gregales Cholchytas Thebanos. Hermias ibi narrat, se plus semel, oblatis libellis, petiisse a magistratibus, ut Cholchytae de domo deiicerentur; iam in Papyro II. unum habemus ex libellis ab Hermia commemoratis. Cholchytae ius suum in domum argumentis demonstraturi tria ediderunt documenta, seu contractus; horum duo Demotice scripti servantur in Museo Equitis Grey. In Papyro III. Apollonius, alio nomine Psemmonthes dictus, Hermiae filius, Thebanus civis, expostulat iniuriam sibi illatam a Cholchytis Thebanis, qui suam domum praeter ius fasque occupaverant. Idem Apollonius in Papyro IV. litem transigit cum iisdem Cholchytis. Papyri V, VI, VII. exemplaria sunt vix inter se discrepantia unius eiusdemque libelli oblati a Pastophoris Amenophii in Memnoniis contra Isidorum

Procuratorem argentariorum proventuum Pathyriti. Papyrus VIII. sistit libellum, in quo Petenephotes Paraschista queritur Amenothem Paraschistam haud stare pacto inito, quo sua cuique assignata fuerat provincia in Nomo Perithebarum, in qua legitime cadavera incidere possent. Hanc litem dirimit Papyrus IX. qui refert sententiam a iudice latam. Papyrus X. est fragmentum tabularum publicarum, uti suspicor, Diospolis Magnae. In Papyro XI. Tasemis foemina Cholchytica materteram arguit assem paternum invasisse. Papyrus XII. epistolam tenet datam ad Amenothem Paraschistam Perithebarum. Tandem Papyrus XIII. sententiam exhibet latam in urbe Memphis.

Ex hac Papyrorum notitia patet, Papyros primum et secundum, quibus duo accedunt Eq. Grey, esse documenta unius eiusdemque litis Cholchytarum; tertium et quartum affines esse; quintum, sextum et septimum esse exemplaria eiusdem libelli; octavum, nonum et duodecimum simul conspirare; praetermitto enim decimum, et et decimum tertium, de quibus alias. Patet etiam quinque Papyros ad Cholchytas pertinuisse, quibus si duo accedunt Eq. Grey supra commemorati, tum eiusdem Grey Antigraphum, cuius Demotici textus duo exemplaria innotuerunt, alterum Parisiis, alterum Berolini, praeterea si accedunt quatuor Papyri R. Musei Aegyptio-Parisiensis (1), habebimus quatuordecim in Europa Papyros res Cholchytarum attingentes. Cholchytis in re mortuaria proximi erant Paraschistae, quorum syngraphas referunt Papyri Taurinenses tres. Paraschistae Memnonia incolebant; porro ad Pastophoros Memnoniorum pertinent tres huius Musei Papyri, quibus addendus est ille Anastasy, et maximus Papyrus Parisiensis (2), uterque enim

---

(1) Quum plus semel laudandi mihi sint Papyri Parisienses, monere debeo, me hoc nomine intelligere Papyros Musei Saltii a Galliarum Rege nuperrime redempti; eos vidi atque in usus meos exscripsi Liburni, Cl. Champollionio Iuniore hanc mihi facultatem ultro largiente, data prius fide me ipsos non esse editurum. Quam viri doctissimi simulque amici iucundissimi indulgentiam commemorans nequeo quin publicas ipsi referam gratias.

(2) Journal des Savans. 1822. Septembre. pag. 557.

tenet pactum initum cum Coriariis Memnoniorum. Ergo propinquissima cognatione inter se devinciuntur eiusmodi Papyri; universi vero ad Memnoniorum incolas pertinent. Quae quum ita sint, maxime probabile fit, Papyros adeo inter se affines non disgregatos fuisse, sed in uno eodemque loco conditos, tamquam unius eiusdemque familiae tabularium. Atqui in uno eodemque loco, immo vase, delitescentes sunt inventi. Enimvero Vir Cl. Saint Martin (1) de tribus graecis Papyris Casatii disserens ait: Casatium tres illos Papyros Thebis emisse ab Arabibus, qui simul ei professi sunt, se tum illos, tum ceteros Papyros subinde ab Anastasy, Saltio, et Drovettio redemptos, invenisse conditos in vase figulino, quod erat in sepulchralibus cryptis Memnoniorum. Ego vero contendo hanc Arabum narrationem verissimam esse.

Quid enim Arabum intererat mendacio fallere Casatium? namque Cassianum illud *cui bono fuerit?* in his personis etiam valet. Vas expilaverant, Papyros vendiderant, nummos tutissime in loculos demiserant, non erat cur ultro mendacium excogitarent, aut proferrent. Praeterea istiusmodi, si Ammoni placet, mendaces testes id dixerunt quod Papyrorum qualitas, officia Cholchytarum, usus Orientalium maxime suadent. Dixerunt non dissipatos, sed congregatos reperisse; atqui Papyros, qui veluti tabularium eiusdem familiae Cholchyticae, atque affinium Paraschistarum haberi possunt, credibile fit non disiectos fuisse, sed simul conditos. Dixerunt in vase delitescentes reperisse. Praetermitto Aegyptios consuevisse sacra animantia a Taricheutis medicata reponere in vasibus figulinis, quae subinde in cryptis condebant; atque aio doliorum usum ad contractus, aliosve maximi momenti papyros servandos, antiquissimum esse apud Orientales. Ieremias enim, Dei iussu, agrum emerat ab Hanamele; contractu iam descripto, signatisque testibus, Vates sic alloquitur Baruchum (*Ierem.* XXXII. 14.): *accipe utrumque contractum, tum illum sigillo obsignatum, tum alium apertum, ac*

(1) Journal des Savans. 1822. Septembre pag. 556.

reconde eos in vase fictili, ut ad multos annos serventur. Quid hoc testimonio ad rem nostram aptius? Quae consuetudo mansit etiam sequiore aetate; nam Origenes, teste Eusebio *Hist. Eccl. lib.* VI *cap.* 16, narrabat duas ex graecis S. Bibliorum versionibus a se repertas esse in doliis conditas. Quidquid ergo Orientales vellent diu sartum tectumque servare, ac seris nepotibus mandare, illud in doliis, seu fictilibus vasibus occludebant, tum vasa in secreto eoque tutissimo loco reponebant. Tandem Arabes dixerunt, se vas invenisse in cryptis sepulcralibus Memnoniorum. Ergo ne Thebanis omnibus licebat, se in cryptas inferre, ibique quidquid collibuerit deponere? Non universis licuisse credo, sed Cholchytis, ad quos maxima Papyrorum pars pertinet. Immo Cholchytae funebribus officiis defuncturi Memnonia libere ingrediebantur, in quibus cum multi iacerent defuncti, tum quisque Cholchyta distincta habebat sepulchra, in quibus iure suo liturgias obiret, quod ius aliis Cholchytis vendere poterat, quemadmodum fuse demonstrabo ad Papyrum I. pag. 1. lin. 21. Quare quum sepulcra sanctissima haberentur, facile quisque Cholchyta in cryptis suo iuri, dicam dioecesi, attributis deponebat syngraphas, et quidquid maxime sua interat, ratus nuspiam tutius, quam eo in loco, recondi posse. Eamdem etiam opportunitatem Cholchytae communicabant amicis, sic Paraschistis, qui affine ministerium circa cadavera praestabant, sic Pastophoris Amenophii, et Coriariis Memnoniorum, aliisque, quorum adeo contractus in vasi occlusos amicus Cholchyta in sepulchris suo dominio assignatis deponebat. En cur quatuordecim Europaei Papyri ad Cholchytas pertineant; en cur ceteri ad incolas Memnoniorum, et amicos Cholchytarum spectent.

Confeci, ni fallor, Arabum traditionem maxime consonare cum Papyrorum qualitate, cum Cholchytis, cum Orientalium usu. Iam cur fidem denegabimus traditioni, quae non tantum nititur auctoritati et sinceritati narrantium, quos mendaces fuisse non est cur suspicemur, sed etiam criticis ipsis rationibus? Atque finem facerem scribendi de origine Papyrorum, nisi apud nos opinio invaluerit

Papyros Taurinenses intra Mumiam, vel Mumias, conclusos fuisse repertos, quia id testatus est nescio quis, qui nomine Drovettii illos Papyros redemerat in Aegypto. Quare quo maiorem fidem haec opinio obtinuit apud nos, eo diligentius refellenda videtur.

Atque in primis quaero, uter tandem rectius testimonium dicere poterat, ille ne Arabs, qui eos in Memnoniis invenit, an qui inventos pecunia redemit? Atqui inventores affirmant, se in vase conditos reperisse. Praeterea, quum constet omnes fere Mumias suum habuisse conclusum Papyrum, illud facile praeiudicium enascitur, papyros omnes Mumiis acceptos referendos esse; adeoque Drovettii minister ad interrogata respondens dixit quod magis pronum erat, ac facilius in buccam venit, scilicet se ex Mumiis hos habuisse Papyros. Ceterum quo magis inter omnes constat Papyros funebres intra Mumias vel sub axillis, vel inter utramque coxam, vel ad latus, vel supra pectus, collocatos fuisse, eo magis absurdum, immo absurdissimum esse contendo intra Mumias fuisse etiam collocatos Papyros, qui contractus, acta litium, et similia ad familiae tabularium pertinentia, exhibebant. Quorsum enim condidissent? Anne ut posteris constaret quae nam illa Mumia esset, quidve gessisset? At quum in contractibus, in actis litium complures nominentur emptores, et venditores, actores, et rei, praeterea iudices, incertum semper fuisset, cuinam illa Mumia assignanda esset; ceterum funebris Papyrus satis superque defunctum prodebat, quin incertissima syngraphae nota adderetur. Anne condidissent, ut contractus ad perennitatem commendarentur, ac certissime ad posteros pervenirent? Nihil atrocius, nihilque scelestius dici aut fingi potest. Ergo qui Papyros intra Mumias suis curis et sumptibus summaque cum religione medicatas teniisque obvolutas collocabant, persuasum habebant fore, ut aliquando piissimi nepotes familiae tabularium conquisituri in sepulcra irrumperent, cadavera ex arcis extraherent, mumias a fasciarum involucro expedirent, universa cadaveris adhuc secum constantis compage abeunte in miserrimam ossium congeriem, ut tandem viderent, utrum mumia secum gestaret aliquod familiae

documentum? Seu, mutatis verbis, persuasum erat, nepotes inter scelestos fore scelestissimos, quippe sepulcrorum et mumiarum violatores. Sanctissima quovis aevo fuit apud cultas barbarasque gentes religio mortuorum; Aegyptii vero, qui exquisitissimo condiendi genere intemeratam cadaverum integritatem cum aeternitate temporum aequare satagebant, qui cadavera adeo venerabantur, ut nullum certius pignus dari posse putarent ab homine alieno aere oppresso, quam cadaver defuncti sibi coniunctissimi, Aegyptii, inquam, absurdissimi fuissent, si fomitem et incitamentum violandis mumiis ipsi suppeditassent nepotibus domesticum tabularium intra mumias recondentes, aut tantum scelus serio et pacatissime suspicati fuissent de posteris. Sed audio quid dicant: = Funebris Papyrus intra Mumiam collocabatur: veteres populi solebant cum defuncto condere arma, suppellectilem, aliaque eius generis, quid ni etiam contractus? = Aio veteres hasce consuetudines frequentantes neutiquam posteros respexisse, sed vel religionis, vel honoris gratia erga defunctos, id fecisse; contra contractus nisi ad posteros spectare posse. Enimvero, ut a funebri Papyro exordiar, quid hoc tandem rei fuit? Funebris Papyrus nihil tenebat, nisi preces ampliores, contractiores, immo contractissimas pro vario seu beatiorum, seu pauperum, conditurae genere, in quibus vix nomen praecipuumque munus defuncti commemorabatur. Dixi *vix;* nam plus semel nomen defuncti omittitur, uti constat ex vacuis spatiolis, quae in eiusmodi Papyris occurrunt. (Unde coniicere possumus scribas, qui hoc munere fungebantur, saepe per otium multos papyros exarasse, iis tantum spatiis vacuis relictis, in quibus defuncti nomen insereretur; quum vero papyrus descriptus mumiae aptandus erat, defuncti nomen supplebant in prioribus laterculis, omissis ceteris locis, quae vacua etiam nunc videmus.) Sed, ne posteri sacrilega curiositate sollicitarentur violandi Mumias, ut perpaucas de defuncto notitias colligerent, dici etiam posset Aegyptios in extimae arcae operculo easdem ipsas Papyri notitias describere consuevisse; sed vereor, ne recte hoc fingi possit, refragante auctoritate

Belzonii mox laudandi. Quod si Papyrus posteros respexisset, utique demortui vita, et res gestae diligentissime enarratae fuissent. Quare religionis gratia haec consuetudo inducta fuit. Arma, suppellex, aliudve, quod demortuo carissimum fuisset, condebatur quidem in eius sepulcro, quare intra Mumiam collocari etiam poterat; hoc tamen non posterorum gratia fiebat, sed in honorem defuncti. Quemadmodum enim homines supremo cultu Deum O. M. veneraturi sacrificia peragebant, ita defunctos honore prosecuturi utebantur eiusmodi sacrificio improprie dicto. Nam sacrificium est oblatio victimae, quae vel destruitur, vel quadantenus immutatur a sacrificulo Deum vel heroam veneranti. Porro arma, ceteraque eam patiebantur mutationem, qua a quotidiano usu penitus subducebantur, ut inertia intra sepulcrum cederent honori defuncti, cum eoque consumerentur, atque interirent; quod luculentius declarant populi, qui cadavera cremantes, arma suppellectilem equum et cetera in rogum simul iniiciebant, numquam id sane facturi, si posteros respexissent. Tandem victimae eiusmodi deligebantur inter ea, quae carissima defuncto artem etiam designarent, quam fuerat inter vivos professus; sic arma milites, cubitus geometram, theca calamaria scribam designabant. At quem tandem designabit libellus supplex, aut contractus? Libellum supplicem obtulit? Papae! quantum virum! Contractum stipulavit? Litem per patrocinatorem confecit? Oh virum cum fama rerum, aeternitate temporum aequandum! Si quid ergo cum mumiis condiebatur, id non nepotum gratia fiebat, sed erat veluti victima defuncto oblata, atque adeo sacrificium improprie dictum. Hanc vero victimam persuasum habeo non intra Mumiam ipsam fuisse collocatam, sed in arca. Tandem Belzonius (1), qui omnia lustravit Memnoniorum hypogaea, multaque cadavera a taeniis expedivit, affirmavit, se nullum Papyrum invenisse intra Mumias, quae essent in arca inclusae, bene vero funebrem reperisse intra illas, quae nullam habuissent arcam. Sed video me

(1) Voyages en Egypte et en Nubie par Belzoni tom. I. p. 269.

satis superque exsibilasse famam apud nostrates vulgatam, litterisque etiam proditam, quam equidem semper incredulus audivi. Simul etiam praenunciavi quantum proventum res antiquaria sibi augurari possit ex mumiis; sane hucusque magna cum expectatione multae mumiae apertae sunt, sed vix ullo cum fructu, de ceteris quae aperiendae supersunt parem proventum augurari licet.

Dialectus Papyrorum, ut quisque facile praesentiscit, est Alexandrina. Hinc sunt illae formae *οὐθέν*, *μηθέν*, *ποεῖν*, *λήμψομαι*, aliaeque a Sturzio (1) diligentissime adnotatae; hinc sunt verba dupliciter composita *περισυγχωρεῖν*, *συνεισδιδόναι*, *συναναγκάζειν*, *παραναγινώσκειν*, *προεπισκήπτεσθαι*, *προσυποδεικνύναι*, *συναναφέρειν*, *προσαναφέρειν*. Ad hanc vero dialectum penitius aestimandam eo magis conferunt Papyri, quo eorum lectio certior est, nec ullis amanuensium erratis deturpata; sunt enim monumenta autographa. Secus accidit in textu LXXvirali Sacrorum Bibliorum, qui innumeros propemodum variarum gentium scribas expertus multis scatet erroribus, nec fidenti animo esse sinit in desinentiis formisque vocabulorum definiendis. Nec praetermittendum est, Papyros puram putamque dialectum referre, quae per ora vulgi volitabat, neque enim credo tabelliones, patrocinatores, aut privatos libellum supplicem offerentes voluisse grandiorem stilum consectari, aut vocabula ad Atticas rationes exigere; contra Ptolemaeus, Philo, Clemens, aliique, quum venusti scriptores videri vellent, et doctis hominibus scribere, puriorem librorum linguam usurparunt. Sed vocabulorum formae vix difficultatem creare possunt. Maior difficultas oritur a potestate verborum, quae quandoque Graecis prorsus inaudita, propria erat Aegyptiorum. Quare consului affines scriptores, praesertim LXX Interpretes, Scriptores Novi Testamenti, Polybium, atque Aristeam. Hunc vero commemorans, qui multa me docuit, ac potissimum insigne testimonium suppeditavit de *τοῖς Χρηματισταῖς*, nequeo quin reprehendam Hodium aliosque Aristeae obtrectatores;

---

(1) Sturzius de Dialecto Macedonica et Alexandrina. Lipsiae 1808.

Epistola ad Philocratem fratrem fuit revera dialecto Alexandrina ac Lagidarum temporibus conscripta, tum, si nonnulla demas, quae ornatus gratia addita sunt ac redolent illam aetatem, qua mirabiles historiae creabantur, nihil habet quod a sensu communi abhorreat, ac vetet illam ipsi fidem denegare, quam concesserunt Iosephus Flavius ac Hieronymus. Praeter vocabula, adnotatu digna est syntaxis, in qua multa corruptionis indicia iam deprehenduntur; sic genitivi absoluti perperam adhibiti, crebra anacolutha, tempora turbata, ad haec periphrases intemperanter introductae, inusitata verborum constructio, aliaque a recto loquendi usu abhorrentia. Scilicet puritas linguae temerabatur tum a multitudine externorum, qui ex variis terrae partibus ad Alexandriam, tamquam ad commune emporium, confluebant, tum ab Aegyptiis, qui graecae linguae assuescentes, seu multas vernaculae linguae formas intrudebant, seu recte aestimare nequibant venustissimae linguae lepores iuncturasque verborum. Ita factum est, ut nova dialectus existeret, quae Alexandrina dicta est. Progressu temporis ipsa dialectus alias atque alias labes passa evasit in linguam corruptissimam; manifestae enim corruptelae citra dialecti fines constituendae sunt. Tandem ipsa etiam orthographia a prisca veritate desciscens ad iotacismum inclinavit; cuius corruptionis instar sit Epistola idiotae cuiusdam in Museo Aegyptio-Parisiensi asservata; pertinet illa ad aetatem Romanam, atque ita incipit: *Αμμωνι Παχνουμι τη αδελφη πολλα χαιρειν. προ μεν παντων ευχομε σε υγιαινιν και το προσκυνιμα σου ποιω κυθ εκαστην ημεραν· ασπαζομαι πολλα τον αγαθωτατον μου υιον Λεων· κομψως εχω και τον ιππον μου και μελας· μη αμελυσις τω υιω μου· ασπαζομαι Σενκρις κε ασπαζομαι την μητεραν* et cetera, quae exscribere piget. Quare ad meae editionis rationem exponendam veniam.

Imagines Papyrorum ipse ex archetypis imitatus sum, atque utinam Lithographia diligentiae meae respondeat! Primi Papyri aliquos tantum versus pro specimine dedi, nam lectu est facilis; ceteros integros exhibui, quippe vel lectu difficiliores, vel lacunis scatentes. Rem palaeographicam enarrent alii; equidem specimina proposuisse

eaque legisse contentus, abstineo a litterarum formis comparandis explicandisque. Textui Papyrorum nostris litteris impresso addidi versionem, in qua malui esse fidelis, quam videri elegans ac scitus; confido tamen illam nulla obscuritate laborare. Tandem quid in adnotationibus praeter grammaticam interpretationem mihi proposuerim, fuse supra disserui. Superest, ut docti viri aequi bonique faciant conatus meos. Ac facient profecto, si secum recogitent prima tentamina in re non bene perspecta optima esse, si mediocritatem attingant

PAPYRUS I.

MIRE INTEGERRIMUS

Alt. metr. gallic. 0,315. — Longit. 1,96.

Pagina 1.

Ετους $\overline{\text{νδ}}$ αθυρ $\overline{\text{κβ}}$ εν Διοσπολει τηι μεγαληι.

Εφ Ηρακλειδου των αρχισωματοφυλακων και επιστατου του Περιθηβας και επι των προσοδων του νομου. Συμπαροντων Πολεμωνος των αρχισωματοφυλακων, Ηρακλειδου των αυτων και γυμνασιαρχου, Απολλωνιου του Απολλωνιου, και Ερμογενου των φιλων, Παγκρατου των διαδοχων, Κομανου των ηγεμονων, Πανισκου του Αμμωνιου των κατοικων, και αλλων πλειονων.

Καταστantος Ερμιου του Πτολεμαιου των εκ του Ομβιτου προς τους απο του τοπου Χολχυτας Ωρον, και Ψενχωνσιν, και Χονοπρην, και τους τουτων αδελφους, ανεγνωσθη το επιδοθεν Ερμιαι τωι συγγενει και στρατηγωι και νομαρχηι παρα του Ερμιου υπομνημα αναπεμφθεν δε εφ ημας, ου εστιν αντιγραφον.

Ερμιαι συγγενει και στρατηγωι και νομαρχηι παρ Ερμιου του Πτολεμαιου των περι αυλην διαδοχων και ηγεμονος επ ανδρων. Του νγL μεχειρ επιβαλοντος εις Διοσπολιν την μεγαλην Δημητριου του συγγενους και επιστρατηγου, επεδωκα υπομνημα κατα Ωρου του Αρσιησιος, και Ψενχωνσιος του Τεεφιβιος, Πανατος του Πεχυτιος, Χονοπρεους του Αρσιησιος, και των τουτων αδελφων των τας λειτουργιας εν ταις νεκριαις παρεχομενων, καλουμενων δε Χολχυτων, δι ου προηνεγκαμην, οτι υπαρχοντων μοι εν τηι Διοσπολει προγονικων κτησεων, ων οι προγονοι μου κεκυριευκαν εφ οσον περιησαν, οι ενκαλουμενοι την κατοικιαν εχοντες εν τοις Μεμνονειοις, ου περισυνκεχωρημενον αυτοις εστιν

PAPYRI PRIMI

VERSIO

Pagina 1.

Anno LIV. Athyr XXII. in urbe Diospolis Magnae. Heraclide uno ex Ducibus Custodum Corporis Regii, et Praefecto Peri-Thebarum, et Procuratore redituum Nomi. Simul adstantibus Polemone ex Ducibus Custodum Corporis Regii, Heraclide ex iisdem tum Gymnasiarco, Apollonio Apollonii filio, et Hermogene utroque ex Amicis, Pancrate Aulico secundi ordinis, Comano ex Ducibus, Panisco Ammonii filio ex Indigenis, aliisque pluribus.

Quum Hermias Ptolemaei filius ex illis Ombitis in iudicium venisset contra Cholchytas loci Horum, Psenchonsim, Chonoprem, eorumque fratres, lectus est libellus ab Hermia oblatus Hermiae Cognato, Stratego, et Nomarchae, ad Nos porro transmissus, cuius en exemplar:

Hermiae Cognato, Stratego, et Nomarchae Hermias Ptolemaei filius ex Aulicis secundi ordinis, et Dux stipendia faciens (haec narro). Anno LIII. mense Mechir quum Demetrius Cognatus, et Epistrategus Diospolim Magnam se contulisset, libellum obtuli contra Horum filium Arsiesis, Psenchonsim filium Teephibis, Panatum filium Pechytis, Chonoprem filium Arsiesis, eorumque fratres, publicis in re mortuaria muneribus fungentes, et Cholchytas dictos. In eo haec narrabam = Quum mihi essent Diospoli avitae possessiones, quas maiores mei toto vitae suae tempore tenuerunt, Citati domicilium habentes in Memnoniis, ubi tum ipsis, tum maioribus suis, habitare concessum fuit, quum rescivissent

και τοις προγονοις αυτων οικειν, εν δε τηι των καιρων περιστασει καταγνοντες εϖι τωι αλλου την κατοικιαν εχειν με, εϖελθοντες εϖι μιαν μου οικιαν, η εστιν εκ του αϖο νοτου και λιβος της Διοσϖολεως, αϖο βορρα του δρομου του φεροντος εϖι ποταμον της μεγιστης θεας Ηρας, αϖο νοτου του φεροντος εϖι το Δημητριον, ης τοιχοι περιησαν, και τηι περι εαυτους βιαι

Pagina 2.

χρησαμενοι, εϖισκευασαντες τα καθειρημενα μερη, ενοικουσιν αντιϖοιουμενοι αδικως. Υϖερ ων μεταλαβοντος μου παρεγενηθην εις την Διοσϖολιν εν τωι μεL, και εις λογους αυτοις ελθοντος προ ηνεγκαντο παρα Λοβαιτος της Εριεως εωνησθαι· οθεν εν τωι αυτωι ετει τοις εν τηι Θηβαιδι Χρηματισταις ενεβαλον εντευξιν εις το προτεθεν υϖ αυτων αγγειον εν τηι Διοσϖολει, ων ην εισαγωγευς Διονυσιος, κατα της Λοβαιτος, προς το αϖροφασιστους αυτους κατα στησαι. Και γενομενης μοι καταστασεως προς αυτην εν τωι παχων μηνι του προκειμενου μεL, αισθομενη ως ουθεν ειχεν βεβαιον, ενεκεν του και των γων μη μετεσχηκεναι αυτην, μητε των προγονων αυτης μηθενα, συνεισεδωκε μοι συνχωρησιν, καθ ην εδηλουτο μητε προτερον μητε νυν αντιϖοιεισθαι της οικιας. Τουτων ουτως εχοντων, οι ενκαλουμενοι αϖοθλιβεντες τωι μηθενος δικαιου αντεχεσθαι, ανεχωρησαν εις τα Μεμνονεια· εγω δε εφ ικανας ημερας καταφθαρεις ηναγκασθην, των ανθρωϖων μη ερχομενων εις τας χειρας, αναλυσαι εις το τεταγμενον. Και μετα ταυτα πολλακις εϖιβεβληκοτος εις την Διοσϖολιν, εκκλινοντες ου διαλειϖουσιν. Ουκ αρκεσθεντες δε εϖι τωι ενοικειν εν τηι εμηι οικιαι, αλλα και νεκρους αϖηρεισμενοι τυγχανουσιν ενταυθα, ου στοχασαμενοι των εξακολουθουντων αυτοις εϖιτιμων· και ταυτα ουσης εϖι του δρομου της Ηρας και Δημητρος των μεγιστων θεων, αις αθεμιτα εστιν νεκρα σωματα, και οι ταυτα θεραϖευοντες· καιπερ Αινεου του στρατηγησαντος γραψαντος Πτολεμαιωι τωι τοτε εϖιστατουντι το εθνος μεταγαγειν εις τα Μεμνονεια,

me propter tempestatum vicissitudines alibi domicilium collocasse, usurpantes domum meam positam in parte Austro-Occidentali Diospolis, ad septentrionem cursus ferentis ad flumen maximae Deae Iunonis, ad meridiem cursus ferentis ad templum Cereris, cuius domus muri supererant, suisque operis usi,

Pagina 2.

posteaquam aptarunt partes collapsas, eam inhabitant sibi iniuste vindicantes. Quod ubi intellexi, me contuli Diospolim anno XLV, et collato cum ipsis sermone, causati sunt, se domum emisse de Lobaite filia Eriei. Quamobrem eodem ipso anno apud Chrematistas in Thebaide, quorum dux erat Dionysius, inieci libellum contra Lobaitem in vas ab ipsis expositum in urbe Diospolis, ut omnes praetextus Cholchytis eriperem. Mihi vadimonium cum illa constitutum est mense Pachon dicti anni XLV; in quo Lobais probe sentiens nihil certi sibi esse, quia neque ipsa, neque aliquis ex maioribus suis minimam agri partem possederat, mecum convenit declarans, neque antea, neque nunc ullum sibi ius competere in domum. Haec cum ita se haberent, Citati quum undequaque premerentur, quia nihil iusti proferre poterant, ad Memnonia redierunt. Ego vero, qui tamdiu fueram laesus, coactus fui, quum homines ad manus non venirent, demandatam mihi stationem repetere. Post haec me identidem adventante Diospolim, semper occursum meum devitant. Neque contenti meam habitare domum, cadavera etiam in ea deponunt, haud secum reputantes multas, quibus obnoxios se praebent, quum domus sita sit iuxta cursum Iunonis et Cereris maximarum Dearum, quae abhorrent a cadaveribus, atque ab iis qui cadavera curant. Idque, licet Aeneas quondam Strategus, ex Regis sententia sibi declarata a Tata Medico Regio, per litteras praescripsisset Ptolemaeo tunc Praefecto, ut hoc Collegium transferret ad Memnonia,

καθοτι και προτερον, εξ ων προσανηνεγκεν αυτωι Τατας ο βασιλικος ιατρος προστεταχεναι τον βασιλεα, και περι του αυτου εθνους ετυγχανεν Διασθενης ο στρατηγησας γεγραφως μετα γαγειν αυτους, ων και παραθησομαι αντιγραφα επι της καταστασεως. Και δια των παρα Δημητριου παραγγελεντος αυτοις ερχεσθαι επι το κριτηριον μεχρι του τα καθ ημας διεξαχθηναι, οι δ εκτοπισαντες ουκ απηντησαν. Του δε Δημητριου χωριζομενου, ηξιωσα ινα χρηματισθησοιτο υπομνημα υπερ των κατ αυτους, ο και αποσταλεν απεδωκα εν Λατωνπολει εν τωι φαμενωθ μηνι· και σου γραψαντος Πτολεμαιωι τωι τοτ επιστατουντι εξαποστειλαι αυτους, οπως διεξαχθηι τα καθ ημας, και μη εξαποσταλεντων· εν δε τωι παυνι

Pagina 3.

του αυτου ετους επιβαλοντος σου εις την Διοσπολιν εις την Διοσπολιν συν τωι Δημητριωι προς την διαβασιν του μεγιστου θεου Αμμωνος, και επιδοντος σοι το προκειμενον υπομνημα κατα των σημαινομενων, και παραγγελεντος αυτοις απανταν επι το κριτηριον, φυγοδικουντες ουκ απηντησαν· κατα το αναγκαιον τον αναπλουν εποιησαμην αμα σοι επι τους τοπους. Διο αξιω εμβλεψαντα εις την γεγενημενην μοι καταφθοραν υπο ασεβων ανθρωπων, αλλ εαν φαινηται, συνταξαι γραψαι Ηρακλειδει τωι επι του Περιθηβας, μετα πεμψαμενον τους ευθυνομενους επισκεψασθαι περι τουτων· ιν, εαν παραδεικνυω ταυθ ουτως εχοντα, συναναγκασθωσιν εκχωρειν εκ της οικιας, και ομολογοι κατασταθεντες νεκρους απηρεισμενοι εν τηι σημαινομενηι οικιαι εξαποσταλωσι προς σε, οπως τυχωσι της αρμοζουσης επιπληξεως. τουτου δε γενομενου, εσομαι τετευχως του δικαιου.

ευτυχει

ubi etiam antea habitabant; ac de eodem Collegio Diasthenes quondam Strategus scripto iussisset eos (Cholchytas) transferendos esse; horum autem exemplaria proferam in ipso vadimonio = Porro quum a ministris Demetrii iussi fuissent in iudicium venire, quoad res nostrae transigerentur, ipsi loco se subducentes in vadimonio se non stiterunt. Abiit Demetrius, atque ego petii, ut Chrematistarum iudicio exhiberetur libellus de rebus ad ipsos pertinentibus; quem etiam missum reddendum curavi in urbe Latonpolis, mense Phamenoth. Quare tu per litteras tuas iussisti Ptolemaeum tunc Praefectum Cholchytas (Latonpolim) mittere, ut negotia nostra transigerentur. Quum vero missi non fuissent, atque tu mense Payni

Pagina 3.

eiusdem anni Diospolim venisses una cum Demetrio ad Traiectum Dei Maximi Ammonis, tibi obtuli propositum libellum contra praedictos; hi porro iussi sunt in iudicium venire, ipsi tamen illud declinantes minime venerunt; quare, necessitate coactus, tecum ad statuta loca navigavi. Quae quum ita sint, peto, ut tu mente reputans damnum mihi illatum ab impiis hominibus, si tibi videbitur, scribendum cures Heraclidi Peri-Thebarum Praefecto, qui, accersitis reis, cognoscat de hoc negotio; tum, si haec ita se habere demonstravero, cogantur a domo abscedere, et confessi cadavera deposuisse in praedicta domo, remittantur ad te, ut merita poena plectantur. Haec ubi feceris, ius meum consecutus ero. Vale.

Ηρακλειδει Lνδ φαωφι κα

τουτου οντος, και δικαιολογηθεντων των συγκαταστaντων αυτοις, περι μεν του Ερμιου Φιλοκλεους, υπερ δε των περι τον Ωρον Δεινωνος, παραναγινωσκομενων αυτοις εξ ων παρεκειντο δικαιωματων ων εκατερος ηρειτο. και του μεν Φιλοκλεους παραπλησια τοις δια του υπομνηματος προενεγκαμενου, παραναγνοντος δε και εξ ων παρεκειτο δικαιωματων αντιγραφον εντευξεως, καθ ην εφη εμβαλοντος αυτου εις το προτεθεν αγγειον υπο των επιβαλοντων εις Διοσπολιν την μεγαλην χρηματιστων, οις εισηγεν Διονυσιος, κατα Λοβαιτος της Εριεως μιας απο των πεπρακοτων τοις περι τον Ωρον την οικιαν, ουτως την Λοβαιν συνανενηνοχεναι αυτωι συγχωρησιν, δι ης εφη αυτην προ ενηνεχθαι μητε προτερον μητε νυν αντιποιεισθαι της οικιας, προς το απροφασιστους καταστησαι τους αντιδικους μηθενος δικαιου αντεχομενους: και κατα μεν τον τροπον τουτον φησας απελαυνεσθαι αυτους της κρατησεως της οικιας. ομοιως δε και αναφοραν του βασιλικου γραμματεως, καθ ην εφη συνσταθεισης αυτωι κρισεως επι των χρηματιστων προς

Pagina 4

Αρμαιν Νεχθμωνθου των απο Διοσπολεως ιερεων του Αμμωνος, περι γης σιτοφορου ϛκ, ων ευηλου, ουσων αυτου προγονικων, Απολλωνιον Δαμωνος πεπρακεναι τωι Αρμαει παρα το καθηκον· και του Απολλωνιου διαδεξαμενου υπερ του Αρμαιος την κρισιν, παρα δε του βασιλικου γραμματεως γενομενης της αναφορας επι τους χρηματιστας εκ των παρα του τοπογραμματεως και κωμογραμματεως ανενεχθεντων περι του αναγραφεσθαι την γην εις Ερμωνα Ερμιου τον παππον της Ερμιου μητρος, και τον Απολλωνιον συνανενηνοχεναι αυτωι συγχωρησιν εξισταμενον της γης· φησας κατα

Ad Heraclidem anno LIV. Phaophi XXI.

Quae quum ita sint, et causam perorassent utrorumque patroni, Philocles nomine Hermiae, et Dinon nomine Hori eiusque collegarum, posteaquam uterque ex documentis a se prolatis legisset quae maluit, = Scilicet Philocles similia protulit iis, quae in libello sunt exposita. Legit porro ex deprompis documentis exemplar libelli, ex quo haec constare aiebat: Quum Hermias iniecisset libellum in vas expositum a Chrematistis, qui magnam Diospolim se contulerant, duce Dionysio, contra Lobaim Eriei filiam, unam ex iis, qui domum Horo eiusque collegis vendiderant, Lobais cum eo convenit declarans neque antea neque nunc ullum ius sibi competere in domum, (idque fecit) ut adversariis omnia effugia praecluderet, quibus aliquod ius sibi vindicare possent; atque adeo (Philocles) addebat illos deiiciendos esse a possessione domus:

Item legit Relationem Scribae Regii, ex qua haec constare aiebat: — Quum lis sibi conflata fuisset coram Chrematistis contra

Pagina 4.

Armaim filium Nechthmonti unum ex Sacerdotibus Ammonis Diospolitanis, de terrae frugiferae cubitis viginti, quos utpote fundum avitum demonstrabat ab Apollonio Damonis filio venditos fuisse praeter ius Armaio; atque Apollonius in se recepisset litem nomine Armai defendendam; et quum Scriba Regius ad fidem eorum, quae Loci-Scriba et Oppidi-Scriba retulerant, nempe solum illud inscribi Hermoni Hermiae filio avo matris Hermiae, suam Relationem misisset ad Chrematistas; Apollonius cum eo convenit fassus sibi decedendum esse de possessione illius fundi. — Subdebat porro non minimum

ταυτην την διακρισιν μεγα τι συμβαλλεσθαι τεκμηριον προς την ενεστηκυιαν αυτωι προς τους περι τον Ωρον κρισιν περι της οικιας. ωσαυτως δε και προσταγματος αντιγραφον περι του τα μη αναγεγραμμενα αιγυπτια συναλλαγματα ακυρα ειναι· και ελεγεν μη προσχρηστεον ειναι ταις επιφερομεναις υπο των περι τον Ωρον κατα της οικιας συγγραφαις. και εκ του της χωρας νομου μερη περι του εαν τις επενεγκηι συγγραφην επι το δικαστηριον μη εστυριωμενην μη προσχρησθαι· και εαν τις επενεγκηι ψευδη συγγραφην διαιρεισθαι αυτην. και μερος εγ νομου βεβαιωσεως, καθ ο εφη δειν τους αντιδικους συνιστασθαι τον λογον προς τους αποδομενους αυτοις. και ετερους δε χρηματισμους Ερμιου του συγγενους και στρατηγου και νομαρχου, ωι υπετετακτο και η παρα Διασθενου του στρατηγου γραφεισα αυτωι επιστολη, υποτεταγμενων αυτηι και της πεμφθεισης αυτωι υπο των ιερεων του Αμμωνος, και αναφορας Παμωνθου του γενομενου τοπογραμματεως, και Αινεου του στρατηγου επιστολη περι του τους απο της Διοσπολεως Ταριχευτας μετοικισθηναι εις τα Μεμνονεια· φησας και απο τουτων περιγινεσθαι τινα αυτωι κυριειαν. και προσταγμα περι προθεσμιων, οις προσηδρευεν μη παρα τον προγεγονοτα χρονον ποιησαμενους, και εξ ων δε προενηνεκτο και παραγεγνω επι της δικαιολογιας ηξιου τους αντιδικους εξοικισθηναι, εαυτωι δε παραδοθηναι την οικιαν.

Μεταλαβων τον λογον ο τοις περι τον Ωρον συνκαταστας Δεινων, προηνεγκατο τον Ερμιαν κατα κενον περιεσπακεναι

Pagina 5.

τους περι τον Ωρον επι τηι πασηι συκοφαντιαι και διασεισμωι, και εις ου τα τυχοντα βλαβη περιστησαι, ουθενος ευλογου αντεχομενον φησας ειναι αυτων την οικιαν και καθ α παρεκειτο αντιγραφα συγγραφων αιγυπτιων διηρμηνευμενων δ ελληνιστι. μιας μεν

argumentum ex hoc iudicio peti posse ad hanc causam pro domo contra Horum patrocinandam.

Item legit exemplar Edicti, quo statuitur contractus omnes Aegyptios in Graphicum Registrum non relatos nullius esse auctoritatis. Subdebat porro Horum uti haud posse syngraphis, quas protulit ad domum pertinentes.

Item legit nonnulla capita ex lege Patria, qua sancitum est, ut si quis in tribunali protulerit syngrapham omni sponsione carentem, ea valide uti nequeat. Tum si quis illegitimam syngrapham protulerit, ea laceretur.

Item legit capitulum Legis de Praestanda Evictione; quare aiebat adversarios debere litem instituere contra suos auctores.

Legit etiam alia Rescripta, illud Hermiae Cognati, Strategi, et Nomarchae, cui attexebatur etiam Epistola Diasthenis Strategi ad ipsum data; huic vero subiungebantur litterae Sacerdotum Ammonis ad ipsum missae, et Relatio Pamonthi tunc temporis Loci Scribae, et Epistola Aeneae Strategi de Salitoribus a Diospoli transferendis ad Memnonia. Aiebat porro se ex hisce documentis dominium aliquod pro re sua inferre.

Tandem legit Edictum de Diebus Praefinitis, iisque nitebatur contendens (adversarios) toto elapso tempore legem non implevisse.

Ex iis porro, quae protulit ac legit causam defendens, petebat, ut adversarii domo eiicerentur, sibi vero domus concederetur.

Subinde Dinon patrocinator Hori eiusque collegarum sermonem orsus dixit: perperam Hermiam circumegisse

Pagina 5.

Horum eiusque collegas per omne sycophantiae, et concussionis genus, eosque non levibus damnis obnoxios fecisse sine ullo probabili argumento; tum profitebatur domum esse Hori, etiam ad fidem exemplarium, quae protulit, syngrapharum Aegyptiarum graece

γεγονυιας του κηL παχων επι του Φιλομητορος, καθ ην ο του ενος των ενκαλουμενων Ψενχωνσιος και Χονοπρεους πατηρ Τεεφιβις εωνητο παρα Ελκηιος και Λοβαιτος και Τβαιαιτος και Σενεριευτος και Εριεως και Σενοσορφιβιος και Σισοιτος του και Εριεως, οντων επτα, πηχεις οικοπεδικους επτα ημισυ εκ του απο νοτου μερους των υπαρχοντων αυτοις ψιλων τοπων πηχων δεκα· ετερας δε, καθ ην ο των ενκαλουμενων Νεχουτου και Ασωτος και αλλου Νεχουτου και της τουτων αδελφης Νεχουθιος πατηρ Ασως ομοιως εωνητο παρα των αυτων πηχεις δυο ημισυ εν τωι αυτωι ετει και μηνι· ετερας δε γεγονυιας του λεL μεσορη επι του αυτου βασιλεως, καθ ην ωσαυτως εωνητο ο των αλλων Πανατος και Πατουτος και Πασημιος και Αρπχημιος και Σεναμουνιος πατηρ Πεχυτης παρ Αμμωνιου και Ζβενδητιος το επιβαλλον αυτοις της αυτης οικιας μερος τεταρτον, πηχεις τρεις τριτον· ων και τα τελη τεταχθαι εις την του ενκυκλιου ωνην, και κεκυριευκεναι αυτους μεχρι του νυν αναμφιλεκτως, ουθενος απλως εμποιη σαμενου ετη τριακοντα επτα. παρεθετο δε και μερη εκ των περι των φιλανθρωπων προσταγματων περι του τους κεκυ ριευκοτας τινων, και μη δυναμενους παρατιθεσθαι τα κατ αυτων συμβολαια, εαν κρατειν. επελθων δε και επι τα του αντιδικου δικαιωματα, και παραναγνωσθεισης της προαναλελεγμενης εντευξεως, ελεγεν, του αντιδικου αναπεφωνηκοτος δι αυτης τοις βασιλευσι, τον εαυτου πατερα μετηλθαι εκ της Διοσπολεως μεθ ετερων στρατιωτων εις τους ανω τοπους εν τηι γενομενηι ταραχηι επι του πατρος των βασιλεων Θεου Επιφανους· και εφη, αναλογιζομενων των χρονων, απο μεν του Επιφανους ετων κδ, Φιλομητορος ετων λε, Θεου Ευεργετου απο του κεL εως το νγL ετων κθ, συντρεχειν ετη προς τα πη, ωστε ομολογουμενως εαυτου καταμαρτυρουντα συμφανες καθεστακεναι, μητε τον εαυτου πατερα, μητ αυτον κατωικηκεναι εν τηι Διοσπολει, μηδε κατα λειπεσθαι αυτωι μηδεμιαν αντιρησιν καθολου περι της οικιας δια τοσουτων ετων επερχομενωι, και μηδεμιας κρατησεως μηδε κυριειας τινος εγγαιου περιγινομενης αυτωι, μηδε τωι

subinde conversarum. Quarum una stipulata fuit anno XXVIII. mense Pachon, regnante Philometore, qua Teephibis pater Psenchonsis unius ex Citatis, tum Chonopris, emit ab Eleci, Lobaite, Tbaeaete, Senerieute, Erieo, Senosorphibi, et Sisoeto, qui alio nomine Erieus appellatur, omnino septem, cubitos areae domus septem cum dimidio ex portione australi cubitorum decem soli inculti, quos ipsi possident. Altera, qua Asos pater Citatorum Nechutis, Asoti, et alterius Nechutis, eorumque sororis Nechutiae, item emit ab iisdem cubitos duos cum dimidio, stipulata eodem anno et mense. Tertia stipulata anno XXXV, mense Mesore, eodem (Philometore) regnante, qua Pechytes pater ceterorum Panati, Patuti, Pasemii, Arpchemii, et Senamunis, itidem emit ab Ammonio et Zbendeti quartam eiusdem domus partem, quae ipsis contingit, cubitorum trium cum triente. Quarum (syngrapharum) tributa relata esse (aiebat) in Registrum Officii Redemtionis annui tributi; tum ipsos (Horum et Collegas) possedisse (domum) usque ad hanc diem per annos trigintaseptem, nemine contradicente, ac domum sibi vindicante. Proposuit etiam nonnulla capitula ex Decretis de Indulgentiis, quibus cautum est, ut qui fundum aliquem possident, quin sui dominii documenta exhibere possint, ii a possessione neutiquam deiiciantur.

Deinde ad argumenta adversarii digressus, et, praelecto libello supra recitato, dixit adversarium in eo apertissime Regibus confiteri, patrem suum ex urbe Diospolis cum aliis militibus se contulisse ad superiora Aegypti loca, quum, regnante Regum patre Deo Epiphane, tumultus esset exortus. Tum subdidit, supputatis temporibus, scilicet annis XXIV. Epiphanis, XXXV. Philometoris, et Dei Evergetae ab anno XXV. ad annum LIII. annis XXIX, fluxisse iam annos octo supra octoginta, ita ut, vel ipso contra se testimonium dicente, apertissime liqueat, neque eius patrem, neque ipsum domicilium habuisse in urbe Diospolis, nec ipsi post tot annorum intervallum reverso ullum omnino superesse contradicendi locum de domo; neque enim ab epocha mox commemorata ad hoc temporis sive ipsi, sive

Pagina 6.

πατρι απο των εμπροσθεν χρονων μεχρι του νυν. προσαπελογιζετο δε, μητε διαγραφην μητ αλλην κτησιν επιφεροντος, αλλ αναποδεικτου καθεστηκοτος, κακοτροπως και επι ραιδιουργιαι παρακεισθαι αυτον την συνχωρησιν. και οντων των πεπρακοτων εννεα, και των περι τον Ωρον ενοικουντων και κρατουντων της οικιας, δεον ειναι προτερον κατα τουτων την εντευξιν δουναι, ιν ουτοι, ητοι προεπισκηψαμενοι τοις πεπρακοσιν αυτοις, αυτοι και την προς τον Ερμιαν κρισιν εγδικασαντες εκστησωσιν αυτον της προς αυτους αντιδικιας, η παραδοντες τοις βεβαιωταις τον περι της βεβαιωσεως λογον συνστησωνται, φανερας της κρισεως γνωρισθεισης εκαστοις, και ελκυσθεντων απαντων εις το κριτηριον, ειπερ γε δη ενομιζεν εκ της αληθειας κατα νομους οδωι πορευομενος τον εξ ευθυδικιας λογον συνιστασθαι, και μη δια κεκρυμμενης σκευωριας κακοικονομιαν ενεργαζεσθαι, αγνοουντων των αντιδικων, ει τινα συνπαιγμον ποιειται τηι Λοβαιτι μονηι, ηιπερ ουκ ετ ην εξουσια της οικιας εμποιεισθαι πεπρακυιαι το εαυτης μερος εβδομον απο πηχων επτα ημισους, και ενος πηχεως επιβαλλοντος αυτηι κατα την μιαν των παρακειμενων συγγραφην. προσυποδεικνυς δε προς το συνστησαι οτι εστιν οια προενηνεκται, αναλαβων εξ ων παρεκειτο ο Ερμιας περι ης εφη γεγονεναι αυτωι ετερας διακρισεως προς Αρμαιν και Απολλωνιον, εφη προενηνεγμενον αυτον περι του πεπρακεναι τον Απολλωνιον τωι Αρμαει αφ ης εφη ειναι αυτου γης μερος, την δ' ενκλησιν πεποιημενον ου κατα του αποδομενου Απολλωνιου, κατα δε του εωνημενου και κρατουντος Αρμαιος· του δε Αρμαιος επισκηψαμενου τωι αποδομενωι Απολλωνιωι παραδεδωκεναι την κρισιν, και τα προς τον Ερμιαν εγδεδικηκεναι απο της προτερον συνσταθεισης κρισεως Αρμαει τωι εωνημενωι και κρατουντι· ωστε μηδενα λογον αυτωι καταλειπεσθαι περι της προς την Λοβαιν συνχωρησεως, μηδε τους περι τον Ωρον εκβλι

Pagina 6.

patri, superest aut possessio aut dominium fundi alicuius.

Ita porro pergebat causam patrocinari. Quum Hermias neque Registrum Mensae, neque aliud dominii documentum exhibere posset, omni argumentorum genere destitutus, perverse omnino ac flagitiose proposuit Chirographum adstipulationis (Lobaitis). Iam quum venditores essent novem, atque Horus eiusque collegae domum inhabitarent ac possiderent, primum omnium debuisset contra Horum libellum dare; sic enim Horus vel actionem falsae venditionis obtendisset auctoribus suis, atque isti vindices extitissent in causa ab Hermia suscepta, eique omnem cum Horo contendendi rationem praeripuissent, vel in causam deducens fideiussores, litem conflasset de fideiussione; sic lis fuisset utrisque luculenter cognita, et universi ad tribunal deducti fuissent. Ita se gerere debuisset Hermias, si revera legitimae viae insistens recto ordine causam instituere voluisset, et non per occulta molimina praeposteram causae tractandae rationem inducere; nam adversarii haud liquido compertum habent, utrum colluserit cum una Lobaite, cui nulla amplius supererat facultas quidpiam decernendi de domo, utpotequae vendiderat septimam, quae sibi contigerat, partem cubitorum septem cum dimidio, ita ut unus cubitus ad eam pertinuisset, quod evincit una ex allatis syngraphis. —— Porro luculentius demonstrare contendens rem ita, uti exposuit, se habere, repetens quae Hermias protulit de actione a se in Armaim et Apollonium instituta, dixit: Hermiam apertissime fassum esse, se, quum Apollonius Armaio vendidisset partem fundi quem suum esse contendebat, dicam impegisse non Apollonio venditori, sed Armaio emptori et possessori, Armaim vero actionem falsae venditionis obtendisse Apollonio venditori, eumque in iudicium deduxisse, et sic res Hermiae vindicatas fuisse a iudicio primum instituto in Armaim emptorem et possessorem. Hinc patet Chirographum adstipulationis a Lobaite concessum nullius esse momenti pro re Hermiae, neque ideo

βεσθαι ταυτηι. περι δε του προσταγματος του περι της αναγραφης, προεφερετο μηθεν αυτωι συμβαλλεσθαι, ομολογουντος αυτου διὰ τῆς αυτης εντεύξεως, οτι η Λοβαις συν τοις εαυτης αδελφοις απεδοτο Ωρωι και τοις αδελφοις την οικιαν, ων και μεταλαβοντα την της εντευξεως εμβολην πεποιησθαι κατ αυτης.

Pagina 7.

την δ αυτην απολογιαν εχειν και περι ων παρεκειτο εκ των της χωρας νομων περι της στυριωσεως των συγγραφων· προσυποδεικνυς, ως ει και επι λαοκριτων διεκρινοντο καθ ους παρεκειτο νομους, προτερον ειναι επιδεικνυειν αυτον, ως εστιν υιος του τε Πτολεμαιου και ης φησιν ειναι μητρος, και ως οι γονεις αυτου εισιν ων προφερονται συγγενων, πριν η καθολου ακουσθηναι αυτου λογον περι τινος πραγματος, και μετα τας επιδειξεις ταυτας αιτεισθαι αυτον τας περι της οικιας αποδειξεις. τον αυτον δε τροπον και κατα τους πολιτικους νομους και τα ψηφισματα τας αυτας επιδειξεις ποιησαμενον, και ταξαμενον την απαρχην, κληρονομιαν απογραψασθαι, η αποτινειν αυτον δραχμας μυριας, και ας αν ποιησηται οικονομιας ακυρους ειναι, και μη εξειναι επι τα των τετελευτηκοτων επιπορευεσθαι. ετι δε και των μεγιστων βασιλεων απολελυκοτων τους υπο την βασιλειαν παντας αιτιων πασων των εως Θωυθ ιθ του νγL, και τας παρακειμενας υπ αυτου συγγραφας ανεπιληπτους ειναι, και την κρατησιν και κυριειαν της οικιας βεβαιαν τοις περι τον Ωρον καθιστασθαι, απο τε των αυτων φιλανθρωπων, και ετι κατα τα προεκκειμενα αυτων τε και των προγονων προσταγματα περι των κεκρατηκοτων, ει και τις θειηι μηδ επιφερειν αυτους συγγραφας, μηγουν και τας κτησεις επιφεροντων και αντεχομενων της απο των προσταγματων εξουσιας και φιλανθρωπιας· τον δε αντιδικον μηδεμιαν αποδειξιν παρακεισθαι. περι δε των των προθεσμιων παρακειμενων προσταγματων, ελεγεν, ει και τις επιχωρησαι τοις επερχομενοις και επιχειρουσι των αλλοτριων εμποιεισθαι, μη συνχωρητεον ειναι πλειονα ενιαυτου η και ετων

Horum deiici posse a possessione. — Quod vero attinet ad Edictum de Inscriptione, respondit hoc nihil Hermiae prodesse, quippe qui eodem in libello fassus est, Lobaim eiusque fratres vendidisse domum Horo eiusque fratribus, quod ubi rescivit libellum contra ipsam iniecisse.

Pagina 7.

Eadem responsione usus est ad ea, quae protulit ex legibus patriis de Styriosi syngrapharum. Illud porro addebat, quod, si apud Populares Iudices lis instituta esset ad praescriptum legum ab ipso laudatarum, primum omnium demonstrare debuisset, se esse filium Ptolemaei, et illius, quam commemoravit, matris, suosque genitores ex illa cognatione descendere, quam ipse exposuit; haec nisi demonstrasset, haud eum potuissent Iudices ulla de re disceptantem audire; tandem, hisce demonstratis, iam ipsi licuisset a nobis documenta petere, quae ad domum attinent. Simili plane ratione, Hermias politicis legibus ac decretis obtemperans, posteaquam iisdem demonstrationibus defunctus fuisset, ac tributum primitiarum definiendum curasset, debuisset haereditatem in publicis tabulis inscribere, quod nisi fecisset, decem millium drachmarum multandus fuisset, omnisque eius administratio irrita fuisset; neque enim licet res mortuorum adire.

Accedit, quod quum Maximi Reges universos regni subditos absolverint culpis omnibus commissis usque ad diem XIX Thoyth anni LIII, tum syngraphae ab ipso productae culpari nequeunt, atque occupationem et dominium domus Hori Collegis certissime asserunt sive ipsa decreta de Indulgentiis, sive etiam eorundem Regum eorumque progenitorum edicta de possessoribus, etiamsi ponamus ipsos nullas protulisse syngraphas, sed unam tantum possessionem exhibuisse, suumque praesidium collocasse in auctoritate et indulgentia decretorum; e contrario adversarius nullum pro re sua argumentum attulit.

Quod vero attinet ad edicta de Diebus Praefinitis, dixit: Etiamsi indulgentissimi esse velimus, tamen civibus supervenientibus, fundosque alienos sibi vindicantibus longior terminus concedendus non est ultra

δυο η τριων τηι προθεσμιαι, και ταύτην μηδ ολοσχερως πασιν, αλλα τοις εχουσιν τι δικαιον, και μη τον παντα χρονον συνχωρεισθαι· του μεν πατρος του Ερμιου μεχρι τελευτης βιου, και αυτου δε του Ερμιου προβεβηκοτος ηδη τοις ετεσιν και εσχατογηρωσοντος, και μηδενος αυτων ωικηκοτος εν τηι Διοσπολει καθολου, ωστε και κυριειαν αυτοις πε(ριγ)ινεσθαι τινος ενγαιου δια τοσουτων ετων επερχομενωι, και μηδεμιαν αποδειξιν παρεσχημενου καθολου. παρεθετο δε και υπογραφην προενεγκαμενος γεγονεναι του ναL παυνι η, καθ ην εφη τον Ερμιαν διακεκριμενον επι Πτολεμαιου του προ του προ ημων επιστατου προς αυτους λελειφθαι τηι κρισει, μη προσεκτεον αυτωι.

Pagina 8.

παρ εκαστα περισπαν τους περι τον Ωρον, εαν δ αυτους κρατειν. επελθων δε και εφ α παρε(κε)ιτο ο Ερμιας περι ης εφη συνστησασθαι αυτον προς τε Αρμαιν και Απολλωνιον κρισεως, προεφερετο αλλοτριον ειναι το παρεισαγομενον υπ αυτου, και μη προσεκτεον αυτωι εφ ετεραν θεωριαν μεταφεροντι την γεγονυιαν αυτωι προς αλλους περι ουδη(π)οτουν πραγματος αμφιζβητησιν, ουθεν αυτωι καθολου συμβαλλομενη(ν) προς την ενεστηκυιαν αυτωι προς τους περι τον Ωρον περι της εαυτων οικιας κρισιν. ωσαυτως δε και περι ων παρεκειτο χρηματισμων περι του τους απο του τοπου Ταριχευτας μετοικισθηναι εις τα Μεμνονεια, ελεγεν πολυ τι κεχωρισθαι και τους χρηματισμους τουτους, και πολλωι μαλλον ευκαταγνωστον ειναι εαυτωι συνιστορουντα μηθεν εχοντι δικαιον, εμφανιστου και κατηγορου ταξιν εχοντα παρακεισθαι, υπολαμβανοντα ευχερως διασεισειν τους αντιδικους. τους γαρ περι τον Ωρον μη ειναι Ταριχευτας, αλλα Χαλχυτας, μηδε την αυτην εργασιαν επιτελειν, διαφερειν δε την τουτων λειτουργιαν· ετι δε και εν ταις γινομεναις δημοτελεσιν ενθεσμοις και επωνυμαις ημεραις μεταφεροντας αυτους κονιαν καταστρωννυειν επι του δρομου του Αμμωνος και δια του ιερου, και εις το Ηραιον εισιοντας το ομοιον επιτελειν, και εν ταις κατ ενιαυτον γινομεναις του Αμμωνος διαβασεσιν εις τα Μεμνονεια.

annum, aut biennium, vel etiam triennium, idque non omnibus indiscriminatim, sed illis tantum, qui ius aliquod habebant; numquam vero quodcumque tempus concedendum esset. Iam vero nec pater Herniae usque ad vitae suae exitum, neque ipse Hermias, qui iam aetate provectus et in extrema senectute constitutus est, neuter omnino habitavit in urbe Diospolis, ita ut quum Hermias post tot annos revertatur, nullumque documentum afferat, vix ipsis ius in aliquem fundum competere possit.

Praeterea allegavit sententiam, inquiens datam esse anno LI. Payni VIII. ex qua dixit constare Hermiam, quum in iudicio contra ipsos contendisset tempore Ptolemaei Praefecti praedecessoris nostri, causa cecidisse; quare insuper

Pagina 8.

habendum esse Hermiam, qui ad singula distrahere satagit Horum eiusque Collegas, atque ipsis tranquillam possessionem concedendam esse.

Tum digrediens ad litem, quam Hermias sibi contra Armaim et Apollonium conflatam fuisse dixit, animadvertit eiusmodi exemplum ab ipso insertum ad rem non pertinere, neque attendendum esse Hermiae, dum ad aliam disquisitionem transfert litem a se cum aliis de qualicumque re susceptam, quae nihil ipsi prodest in hac causa, quam ipse contra Horum de eius domo instituit.

Similiter quod attinet ad Rescripta ab ipso prolata, quibus contendebat Salitorum huius loci domicilium transferendum esse ad Memnonia, respondit longe abs re esse vel ista Rescripta, indeque multo melius dignosci posse Hermiam sibi conscium omni plane iure destitui protulisse res delatore et accusatore dignas, confisum se facile concussurum adversarios. Enimvero Horus eiusque Collegae neutiquam sunt Salitores, sed Cholchytae, neque eodem, ac illi, funguntur officio, sed differunt utrorumque munera. Praeterea festis diebus publicis, legitimis, atque eponymis, pulverem ipsi deferunt, eoque respergunt cursum Ammonis et templum; deinde Sacrarium Iunonis ingressi idem peragunt. Ad haec in annuis pompis, quando Ammon ad Memnonia

προαγοντας της κωμασιας τας καθηκουσας αυτοις λειτουργιας επιτελειν, και χολχυτουντας, και ειναι αυτων γε(ρ)ας. αλλα και τους Ταριχευτας εχειν προσταγμα καθ αυτους απαρενοχλητους ειναι. ει δε και τις θειη το μη ον, μετοικισθηναι τους Ταριχευτας, μηδεμιαν εχειν τινα εξουσιαν, μηδε τον Ερμιαν, εφαπτεσθαι τινος αυτων ενγαιου, εκαστον δ αυτων δεσποζοντα της ιδιας κτησεως, ητοι αποδομενον, η ετεροις παραχωρησαντα αυτους, και την τιμην απολαβειν· τον δε Ερμιαν παρεμπλεκοντα τα μη δαμως ανηκοντα προς την ενεστωσαν κρισιν, μηδε της αυτου διαληψεως οντα, πολυπραγμονως δε προσεπισπωμενον την τωι στρατηγωι καθηκουσαν εξουσιαν, ωστ ευδηλον ειναι μηθεν εχοντα τεκμηριον καθολου προηχθαι εμφανιστου σχημα περι θεμενον παρακεισθαι τους περι των Ταριχευτων χρηματισμους, ετι δε και τους προς Αρμαιν και Απολλωνιον και τους αλλους χρηματισμους ως μεγα τι συμβαλλομενους αυτωι· και ειπερ γε δη ενομιζεν εχειν τι δικαιον, δι ου δυναται τον κριτην πεισαι, και μη

Pagina 9.

τοις προαναλελεγμενοις χρηματισμοις ενσεμνυνεσθαι, ουκ αν ποτε προαχθηναι ετερας οικονομιας παρατιθεσθαι ουθεν αυτωι συμβαλλομενας.

τοιαυτην δε την δικαιολογιαν και ετερα προενηνεγμενων, και του Ερμιου μηδεμιαν προκτησιν μηθ αλλον χρηματισμον, ως ειη αυτου, ητοι προγονικη, η διαμφισβητουμενη οικια, παρατιθεμενου, φασεσι δε και λογωι προφερομενου ειναι αυτου την οικιαν· των δε περι τον Ωρον παρα τεθειμενων, ως οι προγονοι αυτων εωνηντο παρα Ελληκιος και Λοβαιτος και των αλλων των σημανθεντων, οντων εννεα, την δηλουμενην οικιαν κατ αιγυπτιας συγγραφας, ων και τα καθηκοντα τελη τεταχθαι εις την του ενκυκλιου ωνην·

defertur, ipsi praeeunt sacrae pompae, sui officii munera implent, Cholchytas agunt, suumque praemium referunt. Sin vero quis fingat, quod tamen non est, transferendos esse Salitores, nemo, ne Hermias quidem, ullam habebit facultatem attingendi eorum bona immobilia; quisque enim Salitor dominus fundorum suorum pretium exigere potest, sive eos vendiderit, sive alicui concesserit. Hermias vero interserens ea, quae nullo modo cum praesenti causa cohaerent, nec pertinent ad suum institutum, tum totis viribus distendens auctoritatem, quae Stratego competit, apertissime prodit, se omni prorsus argumento destitutum eo adductum fuisse, ut delatoris more proferret Rescripta de Salitoribus, nec non illa de Armaio et Apollonio, aliaque, quasi validum causae suae patrocinium. Sane si existimasset aliquod sibi suppetere argumentum, quo posset iudicem persuadere,

Pagina 9.

quin in commemoratis Rescriptis gloriaretur, numquam sane eo adductus fuisset, ut alias causae suae tractandae rationes iniret, quae nihil ipsi profuerunt.

Quum uterque Patronus causam perorans haec et his similia protulisset, —— Atque Hermias nullum instrumentum antecedentis acquisitionis, aliudve Rescriptum produxisset, quo demonstraret controversam domum vel suam esse, vel progenitorum, sed verbis tantum et sermone testaretur esse suam. —— Contra quum Horus eiusque Collegae demonstrassent allatis syngraphis Aegyptiis, quarum congrua tributa relata fuerunt in Registrum Officii redemptionis annui tributi, maiores suos emisse domum praedictam ab Eleci, Lobaite, aliisque designatis omnino novem;

και προσυποδεδειχοτων απο των των συγγραφων
χρονων κεκυριευκεναι τους γονεις αυτων
εφ οσον περιησαν χρονον, μετα δε την τουτων
τελευτην διακατεχειν και αυτους μεχρι του
παροντος αναμφιλεκτως, ουθενος απλως
εμποιησαμενου τα τοσαυτα ετη· παραθεμενων δε
και προσταγματος μερος του εκτεθεντος εν τωι κςL
περι των φιλανθρωπων περι των κεκρατηκοτων·
και επι Πτολεμαιου δε του προ του προ ημων επιστατου
υπογραφης αντιγραφον της γεγονυιας αυτοις καταστασεως·
και μηθεν παρατεθειμενου συντεταχθαι μη αντιποιεισθαι·
και αυτοι κατακολουθησαντες ταις επενηνεγμεναις
υπ αυτων συγγραφαις, και τοις υπο των βασιλεων
προστεταγμενοις περι των κρατησεων δια το
μη κατα των συγγραφων μηθεν επενηνεχθαι

Pagina 10.

γραμμα. ειπαμεν τωι μεν
Ερμιαι μη εισβιαζεσθαι,
τοις δε περι τον Ωρον
κρατειν καθως και απο
της αρχης διακατειχον.

—— Tum ex variis syngrapharum epochis evicissent, maiores suos quoad vixerunt possedisse domum, seque post illorum obitum ad haec usque tempora tranquillo dominio uti, quin aliquis omnino per tot annos domum sibi vindicaverit. —— Ad haec ex Edicto dato anno XXVI. de Indulgentiis allegassent capita de Possessoribus, —— Nec non exemplar Sententiae latae quum se stitissent in iudicio, Praefecto praedecessore nostro Ptolemaeo; —— Cumque nihil allegatum fuisset, quo constaret postea convenisse, ne domum affectarent, —— Atque ipsi secuti sint fidem syngrapharum a se allatarum, atque edictorum regiorum de Acquisitionibus, nihil enim contra Syngraphas productum fuit; ——

Pagina 10.

Edicimus Hermiae, ne vim inferat; Horo eiusque gregalibus ut possideant quemadmodum iam antea possidebant.

CHRONOLOGICUS CONSPECTUS CAUSAE

INTER

HERMIAM PTOLEMAEI FILIUM

PETITOREM

ET

HORUM ARSIESII FILIUM

ALIOSQUE CHOLCHYTAS REOS.

Quum rerum ab Hermia gestarum ordo perturbatus sit, ac veluti diffusus per universum libellum, in quo alium libellum a se antea Demetrio oblatum interserit, tum operae praetium me facturum duxi, si, restituto rerum ac temporum ordine, brevi ac dilucide ut quidque primum gestum est exponerem, quod ad causam ipsam, atque ordinem iudiciarium assequendum quamplurimum conducit.

Anno XLV Evergetis, Hermias quum rescivisset domum suam a Cholchytis occupari, Diospolim venit; Cholchytis reponentibus se domum a Lobaite emisse, diem dicit Lobaiti apud Chrematistas. Lobais vadimonio occurrit, et

—— mense Pachon fidem scripto facit, se nullum umquam ius habuisse, vel habere in domum litigiosam,

—— mox Hermias militarem stationem repetit = Pag. 2. lin. 3. sq.

Annis sequentibus, Hermias saepe Diospolim se confert; eius occursum declinant Cholchytae. = Pag. 2. lin. 17.

(Hermias rem aliter narrat in Papyro II. Ait enim se

Anno XLVI rescivisse domum suam a Cholchytis occupari, quare Diospolim venisse, ac reos accusasse; Cholchytas tamen vadimonium deseruisse:

Anno XLIX iterum Thebas se contulisse, quum Hermias Strategus eo quoque venisset; Cholchytas occursum declinasse; quare Strategum iussisse Hermogenem domum controversam reddere Hermiae Petitori.

—— Non ita multo post rediisse ad stationem Ombiticam; Cholchytas vero iterum suam domum occupasse. Quare

Anno L, vel LI. Hermias Thebas reversus eum libellum obtulit Heraclidi, quem sistit Papyrus II. neque tamen commemorat Papyrus Maximus.)

(Anno LI, die VIII. Payni, Hermias, iudice Ptolemaeo Praefecto Peri-Thebarum, perorata hac ipsa causa in Cholchytas, damnatus fuit: uti testantur Cholchytae pag. 7. lin. 33. et innuit Heraclides pag. 9. lin. 23.)

Anno LIII, mense Mechir, Hermias Demetrio Epistratego, qui Thebas venerat, eum offert libellum, quem Papyrus noster obliqua oratione refert a verbis *οτι υπαρχοντων* pag. 1. lin. 21. usque ad verba *επι της καταστασεως* pag. 2. lin. 28. = pag. 1. lin. 16. Cholchytae vadimonio a Demetrio dicto non occurrunt = pag. 2. lin. 29. sq. Quare, quum Demetrius Thebis discessisset, Hermias

—— mense Phamenoth causam defert Chrematistis ac libellum dat in urbe Latonpolis; sed perperam, Cholchytae enim eo se non conferunt = pag. 2. lin. 33. Quamobrem

—— mense Payni, Hermia Stratego et Demetrio Epistratego Thebas petentibus, Hermias libellum offert Hermiae Stratego; vadimonium deserunt Cholchytae = pag. 2. lin. 35, et pag. 3. lin. 1. sq.

—— postremis mensibus, vel anno LIV. ante diem XXI. Phaophi, Petitor Hermiae Stratego et Nomarchae libellum dat, quem sistit Papyrus a pag. 1. lin. 14. ad pag. 3. lin. 16. In eo, post narrata omnia a se superioribus annis gesta, Hermiam rogat, velit Heraclidi mandare, ut Cholchytas accersat litemque definiat = pag. 3. lin. 7. sq.

Anno LIV die XXI. Phaophi, Hermias Strategus libellum sibi oblatum mittit ad Heraclidem Praefectum = pag. 3. lin. 17. Causa utrimque perorata apud Heraclidem,

—— die XXII Athyr, Heraclides sententiam fert, quae extat p. 10. lin. 1. sq.

ORDO TOTIUS PAPYRI.

Pag. 1. lin. 1. Notatio anni, diei, et loci, quo sententia lata fuit.

lin. 2. Praefectus Peri-Thebarum, et Iudices consessores recensentur, qui suffragium in hac causa tulerunt.

lin. 9. Inde ad finem usque Papyri Heraclides Praefectus ipsemet loquitur (vide lin. 13. ἐφ' ἡμᾶς *ad nos* etc.) ac iudicibus narrat omnia, quae in hac causa prolata dictaque sunt. Quare Praefectus ab initio causae exorsus

lin. 9.—11, recitat nomen accusatoris, et nomina citatorum,

lin. 11.—p. 3, 16. recitat libellum supplicem oblatum Hermiae Stratego et Nomarchae, quo Hermias petitor accusat Cholchytas. In hoc libello Petitor a lin. 21. ad pag. 2. lin. 28. alium commemorat et obliqua oratione iterum exponit libellum a se anno praecedente, mense Mechir, exhibitum Demetrio Epistratego.

Pag. 3. lin. 17. Hermias Strategus et Nomarcha libellum hucusque praelectum, sibique oblatum, mittit ad Heraclidem Praefectum Peri-Thebarum.

lin. 18. Heraclides Praefectus pergit Iudicibus narrare acta causae. Quare ait, duos patronos Philoclem et Dinonem causam pro utroque cliente perorasse, atque instrumenta edidisse, tum summatim exponit.

lin. 21.—p. 4. 34 quidquid Philocles dixerat pro Hermia cliente, et

Pag. 4. lin. 35.—p. 9, 3. quidquid Dinon defensionem Cholchytarum suscipiens pro iis peroraverat. Deinde

Pag. 9. lin. 4.—p. 10, 1. rationes ab utroque allatas pensat, ac sententiae iam ferendae momenta exponit

Pag. 10. lin. 1. ad finem, Sententiam fert.

Rectius ne causa disputari ac decerni poterat?

ADNOTATIONES

ad Paginam I.

Lin. 1. Ετους νδ) De hoc anno LIV Ptolemaei Evergetis dicam inferius ad pag. 5. lin. 30.

Ib. Αθυρ κβ) Hermias petitor libellum obtulerat Hermiae Stratego; hic illum remiserat ad Heraclidem Praefectum a. d. 21. Phaophi (vide pag. 3. lin. 17); iam Heraclides intra trigesimum diem, nempe die 22. Athyr, posteaquam uterque patronus causam peroraverat, et iudices allata rationum momenta pensaverant, sententiam fert de causa, in qua multa instrumenta, edicta, complures epistolas, aliaque id genus documenta uterque patrocinator in medium produxerat. Quis dixerit Aegyptios Magistratus passos esse lites in foro senescere, et ad temporum aeternitatem spectare?

Lin. 2. Ηρακλειδου) Hunc eundem esse censeo, ac Heraclidem, cui Papyrus II. exaratus, mea quidem sententia, anno L. Evergetis ita inscribitur Ηρακλειδει των αρχισωματοφυλακων και Ιππαρχηι επ ανδρων και Σπεσιτει Περιθ. Neque differre arbitror ab Heraclide, cui Papyrus VIII. certe exaratus anno LII. hisce verbis inscribitur Ηρακλειδει των σωματοφυλακων (scribendum fuisset αρχισωματοφυλακων) και επιστατει και επι των προσοδων του Περιθηβας. Fortasse etiam neque alius est ab Heraclide, qui in Papyro IV. descripto anno XLIV erat αγορανομος του Περιθηβας. Quare colligi potest hic cursus munerum, quorum alia aliis maioribus veluti gradum facerent. Heraclides fuit

anno XLIV. Ἀγορανόμος τοῦ Περιθήβας.
Agoranomus Peri-Thebarum.

L. τῶν Ἀρχισωματοφυλάκων, καὶ Ἱππάρχης ἐπ' ἀνδρῶν, καὶ Σπεσίτης.
Ex Ducibus Custodum Corporis Regii, et Magister Equitum et Spesites.

anno LII. τῶν Ἀρχισωματοφυλάκων, καὶ Ἐπιστάτης, καὶ ἐπὶ τῶν προσόδων τοῦ Περιθήβας

Ex Ducibus Custodum Corporis Regii, et Praefectus, et Procurator redituum Peri-Thebarum, quibus titulis ille etiam τῶν φίλων additur in Papyro IX. lin. 1.

LIV. τῶν Ἀρχισωματοφυλάκων, καὶ Ἐπιστάτης τοῦ Περιθήβας, καὶ ἐπὶ τῶν προσόδων τοῦ Νομοῦ.

Ex Ducibus Custodum Corporis Regii, et Praefectus Peri-Thebarum, et Procurator redituum Nomi.

De Ἀρχισωματοφύλαξι recte Letronnius (1) censuit titulum fuisse non tam veri ac reipsa talis muneris, quo Regium corpus custodiretur, quam militaris gradus honoris gratia tantum collati, quo qui erant insigniti alia omnino diversa munera obire poterant. Revera οἱ Ἐπιστάται, seu Praefecti Nomorum, uti inferius dicam ad Pap. XI. lin. 1, deligi solebant ex ordine τῶν Ἀρχισωματοφυλάκων, porro Praefectura Nomorum nihil minus erat, quam militare officium. Praeterea Polemon et Heraclides infra lin. 4. eodem τῶν ἀρχισωματοφυλάκων gradu donati, erant tamen Assessores Praefecturae Diospolitanae, seu iudiciario munere fungebantur. Scilicet quum Alexandri Magni aetate octo tantum essent οἱ σωματοφύλακες, uti Arrianus memoriae prodidit lib. VI. 28. 6, qui belligerum regem telis hostium facile se obiicientem defenderent, crescente porro in dies sequiorum Ptolemaeorum luxu, simulque turba eorum, qui thronum veluti obsidentes ditari pecunia publica, muneribusque ornari, efflagitabant, primum multi σωματοφύλακες ab imbellibus Lagidis honoris gratia renunciati sunt; deinde, titulo iam multis vulgato, proceres novum insigniusque nomen τῶν ἀρχισωματοφυλάκων exoptarunt. Quod ubi compluribus communicari coeptum est, ut tres ἀρχισωματοφύλακες commemorentur in una Praefecturae Diospolitanae Curia, licet Magnus Alexander uno Hephaestione uteretur

(1) Recherches pour servir à l'hist. de l'Égypte pag. 56. sq

σωματοφυλάκων ἡγουμένῳ *Principe Custodum Corporis Regii*, tunc primores regni nomen iam vilescens perosi, illud τῶν Συγγενῶν *Cognatorum Regis*, de quo mox dicam, obtinuerunt. Quorsum haec? Ut intelligamus quantum a pristina virtute desciscentes cum Lagidae, tum subditi, in Asiaticam superbiam degenerassent seque inanibus nominibus ornatos amarent, perinde ac ordines illi sacrae hierarchiae Romani imperii, quibus infiniti ac ridendi tituli dedecori potius sunt apud cordatos viros, atque indubii vilissimae corruptionis testes, quam verae virtutis argumenta. Praeclare enim Tacitus *Annal.* lib. XV. 31. *apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur*.

Ib. Επιστατου) Verti *Praefectum*. Iste potissimum rem iudiciariam totius Nomi curabat, ac praeerat Curiae, quae una cum ipso de litibus cognoscebat. Sed de eo copiosius dicam paullo infra.

Lin. 3. Του Περιθηβας) Ad Papyrum IV. lin. 2. demonstrabo τὸν Περιθήβας proprie fuisse Thebani Nomi partem in Orientali Nili littore sitam, et τὸν Παθυρίτην alteram fuisse eiusdem Nomi partem in Occidentali littore trans Nilum positam; at promiscue utrumque nomen saepe usurpabatur ad designandum Nomum Thebanum.

Ib. Επι των προσοδων του Νομου) Eodem etiam munere *Procuratoris redituum Nomi* distinguebatur Heraclides anno LII, quo item Praefecturam Nomi gerebat, vide Papyrum VIII. lin. 1. Tamen neque Hermocles in Papyro XI, neque Dionysius in Papyro VII. Parisiensi (vide me infra ad lin. 15.), licet uterque fuerit Praefectus Pathyriti, reditibus tamen non praeerant. Contra in magna Stele Taurinensi Callimachus Epistolographus simul erat επι των προσοδων του Περιθηβας. Quamobrem colligimus: 1.° Procurationem redituum Nomi inter maxima munera habitam fuisse, ea enim fungebatur Epistolographus, qui inter supremos regni primores connumerabatur (vide me infra ad lin. 14): 2.° non semper collatam fuisse Praefectis Nomi, sed iis tantum, quos rex, praeter Nomi Praefecturam, maiore adhuc dignitate ob merita ornare decreverat. Ante Ptolemaeos hoc officium curabant Nomarchae; ita enim Diodorus Siculus

lib. I. 54: (Σεσόωσις) τὴν χώραν ἅπασαν εἰς ἓξ καὶ τριάκοντα μέρη διελὼν, ἃ καλοῦσιν Αἰγύπτιοι Νομοὺς, ἐπέστησεν ἅπασι Νομάρχας τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν τε προσόδων τῶν βασιλικῶν, καὶ διοικήσοντας ἅπαντα τὰ κατὰ τὰς ἰδίας μερίδας *Sesostris quum divisisset regionem universam in XXXVI partes, quas Aegyptii Nomos appellant, singulis Nomarchas praefecit, qui regiorum redituum curam haberent, et suo quisque loco singula administrarent.* Sic etiam ordini Sacerdotum suus erat Procurator redituum, quem Clemens Alex. *Stromat. lib.* VI. p. 758. Prophetam fuisse perhibet inquiens: ὁ γάρ τοι Προφήτης παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις καὶ τῆς διανομῆς τῶν προσόδων ἐπιστάτης ἐστίν *Propheta apud Aegyptios praeest etiam procurationi redituum*, hisce enim reditibus Sacerdotes cuncta per Aegyptum sacrificia procurabant, ministros alebant, et suis usibus necessaria suppeditabant (1). Iam vero certa Aegypti pars regibus assignata fuerat εἰς προσόδους, ἀφ' ὧν εἴς τε τοὺς πολέμους χορηγοῦσι, καὶ τὴν περὶ αὑτοὺς λαμπρότητα διαφυλάττουσι *ad reditus, unde in usus bellorum impendunt, et splendorem suum conservant* (2). Sed praeter proventus fundorum, qui frumentarii dicuntur, alii etiam erant reditus ἀργυρικοί *argentei*; nam Inscriptio Rosettae lin. 11. commemorat αργυρικας τε και σιτικας προσοδους. Sic in pactis solebat stipulari mulcta praesenti argento solvenda regibus ab eo qui pactum conventum non observasset, vide Papyrum IV, et VIII. Sic etiam artifices aliquid certe in argento regibus satisfaciebant, ait enim Strabo lib. XVII. p. 1135. ἀφ' ὧν (γῆς καὶ τεχνῶν) περ καὶ αἱ πρόσοδοι συνήγοντο τῷ βασιλεῖ *ex quibus* (*solo et artibus*) *reditus regi colligebantur*. Praeter προσόδους, quibus certum patrimonium Principis constabat, erant tributa φορολογίαι; utrosque reditus distinxit Inscriptio Rosettae lin. 12. υπαρχουσων εν Αιγυπτωι προσοδων και φορολογιων, τινας μεν εις τελος αφηκεν, αλλας δε κεκουφικεν *cum essent in Aegypto reditus, et tributa, nonnulla quidem omnino remisit, alia vero minuit.* Iam vero Praefectus Nomi proventus τὰς

(1) Diodor. Sicul. lib. I. 73.

(2) Id. ibid.

προσόδους tantum curabat, non vero *φορολογίας*, nam tributa vendebantur Publicanis, seu *Τραπεζίταις*, quorum adeo exactionem ipsi per se procurabant, qua de re dicam in Commentatione *de Registris Graecis*.

Ibid. *Συνπαροντων*) Presse ad etymon vocabuli verti *Simul adstantibus;* at isti erant Assessores, quos Praefectus de causis cognoscens adhibere debebat, ita ut sententia non unius Praefecti, sed omnium suffragiis et nomine lata censeretur; quare in enuncianda sententia Papyrus infra p. 10. lin. 1. utitur plurali verbo *ειπαμεν dicimus*. Id etiam declarat Papyrus IX, qui sententiam ab eodem Heraclide latam in causa Petenephotis et Amenothis exhibet. In eo enim videmus Heraclidi adstasse nonnullos Assessores (*συνπαροντων* lin. 2.), quorum nomina malo fato perierunt, tum alios plures (*και αλλων πλειονων* lin. 5.); hos vero sententiam paucis enunciaturos scripsisse *διεστειλαμεθα decernimus* lin. 17. ut pateat cunctorum nomine sententiam fuisse dictam. Sed difficultatem creant Papyri V, VI, VII; hi enim sistunt libellum oblatum Phommuti Epistratego Thebaidis, Epistrategus illum remisit ad Hermoclem Praefectum, hic sententiam edicturus scribit *ἐκρείναμεν iudicavimus*. Similiter Papyrus VII. Parisiensis sistit sententiam latam ab uno Dionysio Praefecto Pathyriti in causa controversa inter Petearoërim eiusque gregales, atque Horum eiusque gregales. Dionysius sententiam dicturus scribit *ειπαμεν diximus*. Vel ergo tum in Parisiensi, tum in Taurinensibus nomina consessorum omissa sunt in Protocollo sententiae. Vel, quod probabilius videtur, nonnullae erant causae (fortasse quae minimi essent momenti, neque modicam eamque a legibus constitutam pecuniae summam excederent) quas solus Praefectus definire poterat suffragio suo, quin consessores adhiberet; pluralem tamen numerum *ειπαμεν diximus* usurpabat dignitatis gratia. Quidquid sit, persuasum habeo *τοὺς Συνπαρόντας* non otiosos fuisse adstantes, sed *Assessores* Praefecti.

Iam Heraclidi assidebant Polemon ex Ducibus Custodum Corporis Regii, Heraclides ex iisdem Ducibus et Gymnasiarchus, Apollonius

et Hermogenes uterque ex Ordine Amicorum, Pancratus Aulicus secundi Ordinis, Comanus ex Ducibus, Paniscus ex Indigenis, aliique his plures. Hinc nonnulla colliguntur:

1.° Assessores Praefecti erant saltem bis septem; septem enim recensentur, ceteri vero, qui reticentur, erant plures his. Par fere numerus inferri potest ex Papyro IX. uti illum illustrans dicam. Ergo Aegyptiorum sapientia uni alterive iudici, licet iuris consultissimo, graviores causas cognoscendas definiendasque haud committebat. Quod item constabit ex iis, quae de Magistratu Chrematistarum dicentur.

2.° Assessores erant Graeci, quod eorum nomina facile declarant; Graecus etiam erat Heraclides Praefectus.

3.° Militaribus titulis ornati, fortasse etiam stipendia in militia fecerant.

Quae si vera sunt, iure asserere possum: 1.° formam rei publicae Aegyptiae fuisse militarem, nam vel ipsa iudiciaria munera permittebantur viris stipendia emeritis: 2.° Praefecturae curiam a Ptolemaeis fuisse creatam. Nam, auctore Aeliano (1), δικασταὶ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν *iudices apud Aegyptios priscis temporibus erant Sacerdotes*. Diodorus vero (2) tradit Aegyptios iudiciis praefecisse optimos ex nobilissimis civitatibus viros, denos scilicet ex quaque urbe Heliopolis, Thebarum, et Memphis; hosce XXXviros unum ex collegio, et quidem optimum, praesidem creasse, in cuius locum urbs alium sufficiebat iudicem; principem collegii gestasse in collo ex aurea catena dependens simulacrum lapillis pretiosissimis ornatum, cui nomen Veritas; apud iudices deposita fuisse octo volumina, quae universas leges complectebantur. Paria fere habet idem auctor n.° 48. sepulchrum Osymandiae describens; ait enim in uno parietum triginta iuri dicundo praefectos fuisse exsculptos, medium stetisse principem collegii Veritatem clausis oculis collo appensam plurimosque libros adiacentes habentem. Hinc

(1) Var. Histor. lib. XIV. cap. 34. (2) Lib. I. n. 75.

Plutarchus (1) memoriae prodidit Thebis dedicata fuisse simulacra iudicum, quae manibus carebant, tum simulacrum Principis Senatus oculos habuisse in terram deiectos, ut intelligerent omnes iustitiam donis et alloquiis obnoxiam non esse. Iam quum curia Praefecturae ex sacerdotibus non constet, et omnino differat ab eo magistratu, quem veteres scriptores literis prodiderunt, tum a Ptolemaeis creatam fuisse censeo, praesertim quum ex viris militaribus coalescat.

Lin. 5. Γυμνασιαρχου) Herodotus lib. II. 92. posteaquam generatim de omnibus Aegyptiis dixisset, eos a Graecorum ceterarumque nationum institutis summopere abhorruisse, solos excepit cives Chemmis urbis Thebaidis, qui nonnulla graecis consuetudinibus affinia frequentabant. Tum ait: ποιεῦσι δὲ τάδε Ἑλληνικὰ τῷ Περσέϊ· ἀγῶνα γυμνικὸν τιθεῖσι διὰ πάσης ἀγωνίης ἔχοντα, παρέχοντες ἄεθλα . . . εἰρομένου δέ μευ ὅτι . . . κεχωρίδαται Αἰγυπτίων τῶν ἄλλων, ἀγῶνα γυμνικὸν τιθέντες, ἔφασαν κ. τ. λ. *celebrant autem Perseo haec graecanica; gymnicos ludos faciunt per omne certandi genus, praemiis propositis . . . Percuntanti autem mihi cur . . . a ceteris Aegyptiis discreparent edendo gymnicum certamen, responderunt* etc. scilicet se originem a graecis ducere, ipsisque Perseum iussisse certamina celebrare. Quare ex Herodoto constitui posset gymnica certamina a Ptolemaeis primum inducta fuisse in Aegyptum. At quum ea, quae Herodotus de Perseo narrat, redoleant graecum hominem suae gentis studiosissimum (vereor enim, ne Perseus Aegyptiis innotuerit) adversentur praeterea indubiis monumentis Aegyptiis remotissimae antiquitatis, quae scenas gymnicorum certaminum referunt, equidem largiar Herodoto Aegyptios neque ad graecam rationem, neque adeo frequenter celebrasse certamina; persuasum tamen habeo aliqua celebrasse. Porro Alexander graecam urbem conditurus graecum etiam illudque κάλλιστον γυμνάσιον *pulcherrimum gymnasium* exstrui iussit (Strabo lib. XVII. p. 1145.); hinc

(1) De Iside tom. II. p. 445. Opp. Moral. ed. Wyttenb.

graeca certamina late per omnem Aegyptum propagata sunt. Quapropter Gymnasiarcham, perinde atque apud graecos, de sua pecunia ludos apparasse existimo; quum enim ad hanc liturgiam obeundam beatiores viri deligerentur Athenis, ita Aegyptios gymnasiarchas beatissimos video, sic Heraclidem ex Ducibus Custodum Regii Corporis, et Praefecti Assessorem, sic Callimachum Regis Cognatum et Epistolographum, quem Gymnasiarchia fungentem commemorat magna Stele Taurinensis.

Lin. 6. Των φιλων) Quum Apollonius et Hermogenes ex ordine τῶν φίλων recenseantur post ἀρχισωματοφύλακας, colligo gradum τῶν φίλων inferiorem fuisse illi τῶν ἀρχισωματοφυλάκων. Praeterea quisque praesentit inter assessores Praefecti, qui erat ἀρχισωματοφύλαξ, neminem adscitum fuisse, qui ipsum maiore dignitate antecelleret. Igitur οἱ ἀρχισωματοφύλακες praestabant τοῖς φίλοις. Dubitare possemus de τοῖς πρώτοις φίλοις *primis Amicis*, neque dubium solvit Inscriptio Musei Taurinensis edita a Letronnio (1), quae exhibet Πτολεμαιον τον αρχισωματοφυλακα, και αρχικυνηγον, τον Πτολεμαιου των πρωτων φιλων, utrum οἱ πρῶτοι φίλοι inferiorem τοῖς ἀρχισωματοφύλαξι locum tenerent, nec ne, in Aegyptio regno. Iam eodem in ordine alii erant τῶν πρώτων φίλων, alii tantum τῶν φίλων. Ceterum de hoc honoris titulo consule Letronnium (2), qui illum erudite illustravit.

Ibid. Των Διαδοχων) In universa antiquitate solos reperi LXX. Interpretes, utique Alexandrinos, qui nomen διάδοχος usurpent designaturi distinctum quoddam officium. Insignis est locus I. *Paralip.* 18. 17. in quo proceres Davidici regni ita recensentur: *Ioab filius Sarviae erat dux exercitus; Iosaphat filius Achilud erat Commentariorum Scriptor* (ὑπομνηματόγραφος); *Sadoch filius Achitob et Achimelech filius Abiathar erant Sacerdotes; et Susa Scriba; Banaias filius Iodaë Praefectus Cerethi et Phelethi;* καὶ υἱοὶ Δαυὶδ οἱ πρῶτοι διάδοχοι τοῦ βασιλέως verto *et filii Davidis erant primi administri Regis, ab eoque dignitate proximi.* Nam ita graece reddita

---

(1) Recherches pour servir etc. pag. 52.

(2) Ibid. p. 58. sq.

sunt Hebraica verba ליד המלך. Atqui ליד notat *apud*, sic I. *Sam.* 19. 3. ליד אבי *apud patrem meum* etc. Sed vis huius locutionis praesertim colligitur ex I. *Paralip.* 23. 28. ubi David praecepit, ut filii Levi essent ליד בני אהרון *ad manum filiorum Aaronis* suam operam collocaturi in domo Domini, in vestibulis, et exedris, et in ceteris, quae sacer textus persequitur, ministeriis sacris quidem, sed inferioris ordinis illis, quae filii Aaronis praestabant. Quare dubitari nequit, quin notet ministros dignitate proximos ab aliquo, eius iussa excipientes et effectui mandantes, minora officia adimplentes, quin tamen veras et proprie dictas vices sui principis tenerent, quemadmodum Levitis numquam fas erat vices verorum Sacerdotum obire. Par est vocis διάδοχος potestas in Philone *lib. de Ioseph.* p. 369. Hic ait Iosephum constitutum fuisse τῆς βασιλείας διάδοχον; anne *regni successorem?* Ne cogitandum quidem est de successione, sed *primum regni administrum, a rege dignitate proximum*; quare eidem Philoni ib. p 373. Iosephus audit τοσαύτης ἡγεμονίας διάδοχος, ἀρχὴν τὴν μετὰ βασιλέα πρώτην ἀναψάμενος *tanti imperii primus minister, primam post regem dignitatem assecutus.* Gemina sunt loca II. *Paralip.* 18. 7. τὸν Ἑλκανὰ τὸν διάδοχον τοῦ βασιλέως, et ib. 26. 11. Ἀνανίου τοῦ διαδόχου τοῦ βασιλέως. Affinis est periphrasis II. *Machab.* IV. 31. ubi Antiochus rex a metropoli discessisse dicitur relinquens τὸν διαδεχόμενον Ἀνδρόνικον τῶν ἐν ἀξιώματι κειμένων. Laudare possem *Siracid.* 48. 8. ὁ χρίων βασιλεῖς εἰς ἀνταπόδομα, καὶ προφήτας διαδόχους μετ' αὐτόν. Quibus in locis cum absurda foret significatio *successoris*, tum optime quadrat illa *primi administri, proximi dignitate.* Sed cum absolute, nullo addito genitivo, hic sit των διαδοχων, dubitare possemus cuius nam muneris Pancrates gereret vices, seu a quo nam esset dignitate proximus. Dubium, mea quidem sententia, eximit lin. 15. in qua Hermias dicitur των περι αυλην διαδοχων *Aulicus secundi ordinis.* Quare existimaverim honorum titulos, utpote notissimos, quandoque elliptice enunciatos fuisse, atque των διαδοχων poni pro των περι αυλην διαδοχων, quemadmodum linea sequenti των κατοικων est pro των

κατοικων στρατιωτων. Sane οἱ διάδοχοι Athenis dicebantur *professores Philosophiae*, ubi etiam ellipsis supplenda erat ex notissima philosophiae historia, et Atheniensium moribus, vide Wyttenbachium *ad Eunap.* p. 11.

Lin. 7. Των κατοικων) Supple στρατιωτῶν *ex incolis militibus*, quemadmodum οἱ κάτοικοι ἱππεῖς *equites indigenae* leguntur in inscriptione edita a Letronnio, ac distinguuntur a τοῖς μισθοφόροις *mercede conductis*, atque a ξένοις, vide me ad Papyrum III. lin. 4.

Lin. 9. Καταστάντος) Verbum Καθίστασθαι (nam καταστάντος utpote aoristus 2. intransitivam habet potestatem) saepe notat *publice dicere, et orationem habere*, vide Wyttenbachium ad Plutarch. *Conviv. Sept. Sap. p.* 148. *E*, sed in dialecto forensi notat *in iudicium venire, coram iudice se sistere*, quod nostra aetate dicimus *comparire in giudizio*, ut elliptice desit εἰς κρίσιν. Hanc verbi notationem attigit Schweighaeuserus (2) scribens: καθίστασθαι πρὸς τινὰ *stare adversus aliquem in iudicio, vel in disceptatione causae coram senatu.* In aoristo 1. adeoque active occurrit in Papyro II. lin. 41 καταστησαι τους ενκαλουμενους *in iudicium perducere citatos.* Hinc κατάστασις est *vadimonium*, Italice *comparsa*, vide infra p. 2. lin. 8. 28. p. 9. lin. 24. Quare patrocinatores, qui una cum clientibus in iudicium veniebant eorum causas peroraturi, dicebantur συγκαταστάντες, vide infra p. 3. lin. 18, p. 4. lin. 35.

Ib. Των εκ του Ομβιτου) Compertum est praepositionem ἀπὸ, praecedente articulo, usurpari ad designandam originem, vel coniunctionem cum eo, quod sequenti genitivo exprimitur; sic οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς *Stoici*, οἱ ἀφ' αἵματος *sanguine coniuncti*, et alia, quae vide in Vigero (3). Hac vero constructione in primis delectantur Aegyptii designaturi locum, in quo quis stato suo munere defungitur. Sic οι απο του τοπου Χολχυται *Cholchytae loci* infra lin. 10. οι απο

---

(1) Recherches pour servir etc. p. 313.
(2) Lexicon Polybianum ad v. καθιστάναι pag. 314.
(3) De Idiotismis L. Gr. ed. Hermann edit. 3. pag. 579.

της Διοσπολεως ιερεις του Αμμωνος *Diospolitani Sacerdotes Ammonis* ib. IV. 1. οι απο της Διοσπολεως Ταριχευται *Diospolitani Taricheutae* ib. IV. 28. οι απο Διοσπολεως . . . μισθοφοροι ιππεις *Diospolitani equites mercenarii* ib. III. 4. IV. 4. his adde το απο νοτου μερος, et similia in Contractibus facile obvia. Interea animadvertere licet homines non ex patria designari consuevisse, sed ex officio, quo apud aliquam urbem, oppidum, vel locum, fungebantur. Quum enim civium ordines stati essent, et in unoquoque ordine distinctum esset cuiusque munus, muneris exercendi locus et limites, omnia, uno verbo, ita circumscripta essent, ut religioni duceretur ea praetergredi; tum haec erat certissima, ceterisque magis definita, homines designandi ratio. Sed eadem in notatione, praeter praepositionem ἀπὸ, Aegyptii illam etiam ἐκ amabant. Quare hic loci των εκ του Ομβιτου, et in Papyro Anastasy οι εκ των Μεμνονειων σκυτεις *Coriarii Memnoniorum*. Quae periphrasis frequens occurrit in Polybio, sic I. 81. 6. κατὰ τὴν ἐξ αὐτῶν φύσιν, II. 40. 5. οἱ ἐκ Μακεδονίας βασιλεῖς, III. 97. 1. οἱ ἐκ τῆς συγκλήτου pro ἡ σύγκλητος, IX. 39. 9. οἱ ἐκ Πελοποννήσου φίλοι, et alia permulta, quae recenset Scweighaeuserus (1). Quamobrem των εκ του Ομβιτου perinde est ac τῶν του Ομβιτου. Sed quid των? Supplendum esse ἡγεμόνων suadent verba lin. 15. ηγεμονος επ ανδρων, tum Papyrus II. 3. ubi idem Hermias dicitur των εξ Ομβων ηγεμονων. Erat ergo *ex Ducibus Nomi Ombitis*. Ad hunc Nomum pater Hermiae ante annos LXXXVIII. ex urbe Diospolis se contulerat cum aliis militibus, ut hostiles motus compesceret (2), ibique, uti probabile fit, natus est Hermias; hic identidem Diospolim petierat, sed, quum homines ad manus non venirent, iterum militarem stationem repetebat (3). Hinc colligitur stativum praesidium in Nomo Aethiopiae contermino fuisse constitutum, quod provinciam, adeoque regnum universum,

---

(1) Lexicon Polybianum ad v. Ἐκ.

(2) Vide infra pag. 5. lin. 27. sq.

(3) Vide infra pag. 2. lin. 15. 16.

a perpetuis hostibus defenderet. Luculentius id apparet ex hisce verbis Inscriptionis maximi templi Ombosi οι εν τωι Ομβιτηι τασσομενοι πεζοι και ιππεις και οι αλλοι *pedites, et equites, aliique stativi praesidii Ombosi* (1). Quod praesidium ex multis cohortibus conflatum fuisse suadet, praeter Nomi positionem perpetuis validorum hostium incursionibus obnoxii, numerus pluralis τῶν ἡγεμόνων; nam quemque ἡγεμόνα uni cohorti praefuisse existimo. Hisce porro Ducibus praeerat Στρατηγὸς, qui vel post saeculum primum a Christo nato occurrit in Inscriptione Dakkehensi Απολλωνιος Απολλωνιου Στρατηγος Ομβειτου (2). Romani etiam praesidium circa Syenem collocaverant; ait enim Strabo XVII. p. 1172. εἰσὶ δ' ἐνταῦθα τρεῖς σπεῖραι Ῥωμαίων ἱδρύμεναι φρουρᾶς χάριν *hoc in loco tres Romanorum cohortes collocatae sunt praesidii gratia.*

Lin. 10. Χολχυτας) De his dicam infra ad lin. 21.

Ibid. Ωρον κ. τ. λ.) Infra lin. 18. et in Papyro II. lin. 8. quartus additur Πανας, qui adeo Hori, Psenchonsis, et Chonopris frater censendus est; Papyrus enim cum istos recensitos, tum alios praetermissos, universos appellat fratres τους τουτων αδελφους lin. 11, et των τουτων αδελφων lin. 20. Atqui Panas alium habuit patrem, diverso item patre ceteri Cholchytae usi sunt. Enimvero eorum genus ita definitur

Infra lin. 18.		in Papyro II.
Horus	filius Arsiesii	filius Hori
Psenchonsis	— Teephibi	Teephibi
Chonopres	— Arsiesii	Arsiesii
Panas	— Pechytis	Pechytis

Ergo Panas nullius ex tribus frater erat, neque frater dici poterat Psenchonsis, quod licet etiam suspicari de ceteris, qui indiscriminatim dicuntur οἱ τούτων ἀδελφοί. Maiorem difficultatem creat p. 5. lin. 11. ibi enim tres alii Cholchytae generatim in hac pagina 1.

(1) Letronne Recherches etc. p. 77.
(2) Iournal des Savans an. 1821. p. 399.

designati nomine τῶν τούτων ἀδελφῶν commemorantur, Nechutes, Asos, et alter Nechutes, qui patrem habuerunt Asotum. Praeterea pag. 6. lin. 33. *Lobais cum suis fratribus* η Λοϐαις συν τοις εαυτης αδελφοις dicitur vendidisse domum Horo eiusque fratribus. Atqui, uti indubie constat ex Demotico Papyro, quem vel nostra aetate superstitem laudabo inferius ad pag. 5. lin. 5, venditores fuerunt

Alecis	filius	Eriei	ex eadem matre N. N. nati
Lobais	filia	Eriei	
Tbaeais	filia	Eriei	
Senerieus	filia	Petenephotis ex matre Senlobais	
Erieus	filius	Amenothis	ex matre Tsenamun
Senosorphibis	filia	Amenothis	
Sisois	filius	Amenothis ex matre Tsenchonsis	

Manifeste ergo liquet apud Aegyptios *fratris* nomen lato sensu accipiendum esse, idque non ex quadam licentia, quae historico scriptori facile condonaretur, sed iuridice. Nam allata documenta pertinent ad genus Contractuum, et Libellorum iudicibus oblatorum, in quibus tantam diligentiam requirebant Aegyptii, ut, si quod esset dubium de cognatione et nominibus reorum, id accurate notarent; sic Papyrus III. post enumeratos nonnullos ex adversariis, habet lin. 9. Μεντεμητος, ου τον πατερα αγνοω, η ει τινα αυτοις αλλα ονοματα εστι *Mentemetes, cuius patrem ignoro, tum si qua alia nomina sint ceteris commemoratis*. Quare quos Magnus Papyrus appellat τους τουτων αδελφους, eos alio nomine των συν αυτοις *Collegarum ipsorum* donat Papyrus II. lin. 9. Sane in oriente latissime patebat nomen *fratris*, quo etiam *cognati*, et *consanguinei* ex eadem familia orti designabantur *Genes.* 24. 27. *Levit.* 25. 48. *Deuter.* 2. 4. 8. sic et *fratres Christi* interpretati sunt Ecclesiae Doctores de eius cognatis et propinquis. Fratris etiam nomine veniebat *popularis* ex eadem gente oriundus *Deuter.* 15. 2. *Iob.* 22. 30. *Act.* 2. 29. *coniunctus religionis vinculis*, qui unam eamdemque religionem profitebatur *Act.* 22. 5, 28. 21. vide etiam Svicerum *Thes. Eccles.* tom. I. p. 86. Praetermitto hoc nomine compellari

amicos. Sed quod potissimum ad rem facit, fratres appellabantur *collegae* eiusdem muneris socii I. *Cor.* 1. 1. II. *Cor.* 1. 1, 2. 12. Iam si animo recolamus Aegyptum omnem fuisse in tres classes tributam, sacerdotalem, militarem, et agricolam, singulas vero in varia genera, quae nefas erat praeterire, facile intelligemus multas familias conflatas fuisse, ac *fraternitates* inductas, tum quia constabant ex sociis eiusdem muneris, tum quia cognationis vinculo sociabantur, quum matrimonia intra unum idemque eiusdem classis genus fortasse inirentur. Ex hoc fraternitatis genere fluxit mos ille, quo Ptolemaeus quisque reginam connubio sibi iunctam, licet alio patre prognatam, nomine *sororis* salutabat (1); nam vel aliquod cognationis vinculum intercedebat, vel, etiamsi nullum intercessisset, quemadmodum inter Ptolemaeum Epiphanem et Cleopatram Antiochi II. regis Syriae filiam, tamen ista *soror* compellabatur, utpote in societatem regiae potentiae admissa, adeoque eadem in classe cooptata. Semel ac vero fraternitates constitutae sunt intra eandem classem, puta intra Cholchytas, qui officia sua uni civitati, vel oppido, praestare debebant, contractus etiam a fraternitate coniunctis iuribus inibantur, aedes, quae omnibus fratribus excipiendis pares essent, ac cadaveribus deponendis, acquirebantur. Fortasse etiam unicuique fraternitati aliquis vel natu, vel auctoritate maior praeerat, atque in contractibus vel libellis primo semper loco nominabatur, quemadmodum Horus in hoc, et in II. Papyro; sed hac de re aptius disseram ad Papyrum VIII. Ratum ergo sit *fratris* nomen apud Aegyptios lato sensu intelligendum esse, ac non solum cognatis et propinquis fuisse communicatum, sed etiam omnibus, qui vi alicuius pacti eodem in Collegio iisdem officiis fungentes erant cooptati. Quae de potestate vocis ἀδελφός hucusque disputavi, ea tantum de Graeco-Aegyptiis moribus sunt intelligenda; nam, uti Cl. Champollionius Iunior omnino asseveranter certiorem me fecit, nuspiam in monumentis Aegyptiis fratris aut

(1) Letronne Recherches etc. p. 8. 10. 348.

sororis nomen lato et improprio sensu sumitur, ipsique Papyri Demotici in Protocollo Contractuum nulli Cleopatrae concedunt sororis titulum, nisi ea revera soror fuisset. Superest ergo, ut latissima haec nominis potestas a Macedonibus in Aegyptum inducta fuerit.

Lin. 12. Συγγενει) *Cognatus Regis*, honoris titulus, de quo vide Letronnium (1). Iam vero hunc titulum numquam τοῖς Ἐπιστάταις *Praefectis* collatum vidi, bene vero semper Epistrategis et Strategis. Ita hic loci, et infra lin. 14, et pag. 4. lin. 23. Ερμιαι Συγγενει και Στρατηγωι, et lin. 17. Δημητριου του Συγγενους και Επιστρατηγου: in Papyris V. VI. VII. lin. 1. Φομμουτι Συγγενει και Επιστρατηγωι: in Obelisco Philarum lin. 15. Λοχωι τωι Συγγενει και Στρατηγωι: in Inscriptione Delos (2) Μαρκον Συγγενη βασιλεως Πτολεμαιου Ευεργετου και βασιλισσης Κλεοπατρας και Επιστρατηγον. Itaque Epistrategi et Strategi, qui, uti videbimus, primas tenebant in regno Lagidarum, honestabantur titulo τῶν Συγγενῶν, adeoque οἱ Συγγενεῖς proximi a rege dignitate erant, quemadmodum nostra aetate *Cognatio regis* uti honorum vertex habetur. Obiici posset Stele Insulae Bacchi (apud Letronnium p. 345.) in qua legitur Ἡρωΐδης . . . ἀρχισωματοφύλαξ καὶ στρατηγός. Scilicet Heroides nondum ob merita ad τὴν Συγγένειαν promotus fuerat; sed quum, uti probabile fit, a Praefectura ad Strategiam gradus fieret, ac Praefecti essent (vide me supra ad lin. 2.) ἀρχισωματοφύλακες, Heroides pristinum servabat titulum ἀρχισωματοφύλακος. Coniici etiam potest Heroidem titulum tantum Strategi, non munus habuisse. Hinc colligo:

1.° honoris titulos consuevisse praeponi aliis veris seu militiae seu togae muneribus; sane etiam titulus τῶν Ἀρχισωματοφυλάκων praeponebatur alteri τοῦ Ἐπιστάτου, vide me supra ad lin. 2.

2.° ex honoris titulis aestimari posse maiorem vel minorem dignitatem verorum officiorum quae sequuntur. Sic, ut exemplum ponam, dubitari posset quo nam dignitatis gradu gauderet ὁ

(1) Recherches etc. p. 321. sq.

(2) Apud Letronne Recherches p. 276.

Ἐπιστολόγραφος *qui erat ab Epistolis regis*; at quum in Obelisco Philarum lin. 14. legamus Νουμηνιῳ τῳ Συγγενει και Επιστολογραφῳ, atque in magna Stele Taurinensi Καλλιμαχος Συγγενης και Επιστολογραφος, aliunde constet τοῦς Συγγενεῖς honorum verticem consecutos esse, certe statuere debemus, τὸν Ἐπιστολόγραφον inter supremas regni dignitates recensendum esse.

3.° Honoris titulos hac serie decrescente constitui posse, Συγγενής. Ἀρχισωματοφύλαξ, τῶν πρώτων φίλων, τῶν φίλων.

Ib. Στρατηγοι κ. τ. λ.) Quum frequens in Papyris a me edendis mentio occurrat του Επιστρατηγου, Στρατηγου, Νομαρχου, Επιστατου, quae praecipua sunt reipublicae Aegyptiae munera, tum operae pretium me facturum duxi, si unica adnotatione complecterer quidquid ad ea illustranda conferunt Papyri Taurinenses.

De praecipuis dignitatibus, quae Romanorum aetate Aegyptum moderabantur, accurate Letronnius quantum per inscriptiones sibi compertas licebat disseruit in *Recherches pour servir à l'hist. de l'Égypte p.* 263. *sq*; eaedem sed Ptolemaeorum aevo explicandae mihi veniunt. Hic vero solas, easque praestantiores, militares ac civiles attingam; nam de aulicis ceterisque minoribus pro re nata dicam ad varia Papyrorum loca.

Prima in Aegypto dignitas illa erat τοῦ Ἐπιστρατηγοῦ. Iam quum dignitati nomen provinciae subdebatur, haec erat Θηβαΐς, sic in Inscriptione Philarum ab Hamiltono *Aegyptiaca* p. 52. vulgata, quam Letronnius *Recherches* p. 276. Ptolemaeorum aevo facile assignari putat, Πτολεμαιος Ηρακλιδου επιστρατηγος Θηβαΐδος *Ptolemaeus Heraclidis filius Epistrategus Thebaidis.* Eius ergo imperium universos Thebaidis Nomos (de quibus dicam ad Pap. IV. lin 2.) complectebatur. Revera Epistrategum non in una Diospolis urbe stabilem sedem habuisse, sed late urbes pererrasse discimus ex iis quae de Demetrio Epistratego narrat Hermias p. 1. 2. et 3. Ait enim: = quum anno 53. mense Mechir Demetrius Epistrategus Diospolim Magnam venisset, supplicem ei libellum obtuli in Cholchytas; hi a Demetrii ministris iussi sunt ad tribunal venire; neque tamen

venerunt. Quum vero Thebis discessisset, libellum Chrematistis dedi mense Phamenoth in urbe Latonpolis; tandem iterum Demetrius Thebas reversus est mense Payni ad sacram Ammonis pompam celebrandam = Igitur Demetrius mense Tybi aberat a Diospoli; illuc venit mense Mechir, at vix ad aliquot dies moratus est; sequenti mense Phamenoth inde discessit; tertium post mensem, scilicet mense Payni iterum Thebas venit, ut Ammonis pompae interesset, utpotequi primas in urbe teneret; primis sequentis anni mensibus non erat in statione Ombitica, si enim fuisset, utique Hermias libellum ei obtulisset, dedit autem Stratego. Iam quum Demetrius per multos menses a Thebis aeque ac ab Ombitico praesidio abfuerit, ubi tandem fuisse censebimus? Pererrabat urbes Thebaidis. Enimvero quemadmodum in re iudiciaria magistratus Chrematistarum ius dicens in universa Thebaide urbes obibat, sic Epistrategus urbes etiam Thebaidis perlustrabat. Saltem ita postulat analogia inter utrumque ordinem militarem, et civilem. Quae quum ita sint, patet Thebaidem, quam ex plurimis, fortasse decem, Nomis constare demonstrabo, fuisse Epistrategiam, seu militarem provinciam. Iam auctore Strabone *lib.* XVII. *pag.* 1.135. ἡ δὲ χῶρα τὴν μὲν πρώτην διαίρεσιν εἰς νομοὺς ἔσχε, δέκα μὲν ἡ Θηβαῒς, δέκα δ' ἡ ἐν τῷ Δέλτα, ἑκκαίδεκα δ' ἡ μεταξύ· *Aegyptus universa pro antiqua divisione in Nomos tributa fuit, in decem Thebais, in totidem regio Delta, intermedia vero in sexdecim;* Aegyptus ergo Ptolemaeorum aetate tres habebat Epistrategias, inferiorem seu regionem Delta, intermediam seu Memphiticam, superiorem seu Thebaidem.

Epistrategus, qui principem in militia dignitatem tenebat, principe etiam aulae titulo decorabatur, eratque Συγγενής *Regis cognatus.* Sic Demetrius pag. I. lin. 17. dicitur συγγενης και επιστρατηγος; Papyri V. VI. VII. oblati sunt Φομμουτι συγγενει και επιστρατηγωι; in *Marmor. Oxoniens.* XXVI. legimus Μάρκον συγγενῆ... καὶ ἐπιστρατηγόν.

Iam, quemadmodum plus semel monui superius ac fusius dicam infra ad lin. 15, quum Aegyptii summopere delectarentur titulis

honorificis, auguror fore ut complures occurrant Epistrategi omni plane Epistrategia expertes. Huiusmodi fuisse credo Phommutim, qui in Papyris V. VI. et VII. dicitur επιστρατηγος και στρατηγος Θηβαιδος; scilicet erat Thebaidis Strategus titulo Epistrategi iam honestatus, quemadmodum nostra aetate qui in re iudiciaria ad Praefecturas principum urbium pervenerunt iam amplissimo Senatorum titulo salutari solent, quin revera in Senatum adlecti sint in eoque suffragia ferant, multique Imperatores audiunt quin vel parvo militum manipulo aut imperent, aut imperare sciant. Neque refragarer si quis Marcum paullo ante commemoratum quem Oxoniensis Inscriptio επιστρατηγον salutat, nulla addita provincia, inter Epistrategos solo titulo contentos recenseret.

Munus Epistrategi militare fuisse quisque facile colligit ex etymo vocis, quae *summum Imperatorem* notat. Idem vero civile etiam fuisse ac iudiciarium ex eo infero, quod, quum Strategus, ut mox dicam, universae provinciae administrationi praeesset, videtur Epistrategus in rebus civilibus ceterisque, quae ad politiam pertinent, administrasse universam Epistrategiam. Praeterea Hermias supplicem libellum Demetrio Epistratego offert; causa, nedum mixta, omnino civilis erat. Quid Demetrius? Per suos ministros (δια των παρα Δημητριου p. 2. lin. 29.) Cholchytis imperat, ut ad tribunal veniant, quoad lis definita sit. Nullus dubito τὸ κριτήριον fuisse tribunal Epistrategi. Si enim Epistrategus libellum Hermiae remisisset cognitioni ordinariorum iudicum, non absolute dixisset ερχεσθαι επι το κριτηριον, sed tribunal definivisset. Deinde non fuisset, cur Hermias tanta anxietate adventum Demetrii observasset, doluisset eius discessum, et libellum huic potius, quam Stratego, dedisset. Quare existimaverim Epistrategum suo in tribunali summaria et inapellabili, ut aiunt, sententia lites definivisse. Atqui Hermias actor stipendia faciebat in praesidio Ombitico; subit ergo suspicio Epistrategum supremum fuisse iudicem militaris fori, ac de iis causis tantum cognovisse, in quibus alterutra pars militiae esset adscripta.

Strategum dignitate proximum ab Epistratego fuisse suadet vox

ipsa, quum Στρατηγὸς notet *Imperatorem*, Ἐπιστρατηγὸς vero *Summum Imperatorem*. Eum duxisse exercitus colligo tum ex vocis etymo, tum ex Papyris. At non omnes Strategi erant dignitate et muneribus pares.

Ceteris praestabat Στρατηγὸς Θηβαΐδος *Strategus Thebaidis*. Sacerdotes Isidis, quae in Abato et Philis colebatur, quum iniuriis afficerentur a Strategis, Praefectis, aliisque Philas petentibus, eum Evergeti II. libellum offerunt, quem notissimus Philarum Obeliscus a Letronnio (*Rech.* p. 297. sq.) illustratus exhibet; ac petunt, ut Rex praecipiat Locho Cognato et Stratego Thebaidis (Στρατηγωι της Θηβαιδος) ne in posterum vexet Sacerdotes, caveatque ne isti a ceteris vexentur. Letronnius existimat στρατηγωι ibi esse pro επιστρατηγωι. Atqui Papyri Taurinenses V. VI. et VII inscribuntur Φομμουτι επιστρατηγωι και στρατηγωι της Θηβαιδος. Ergo ne quater erratum est? Quum hoc fidem excedat, credo fuisse Strategum Thebaidis, qui Epistratego Thebaidis vicariam operam in universa Epistrategia praestabat. Quousque vero eius auctoritas pertineret, ex eodem Obelisco intelligimus. Enimvero cavere debebat, ne οι παρεπιδημουντες εις τας Φιλας Στρατηγοι, και Επισταται, και Θηβαρχαι, και βασιλικοι Γραμματεις, και Επισταται φυλακιτων, και οι αλλοι πραγματικοι παντες, και αι ακολουθουσαι δυναμεις, και η λοιπη υπηρεσια ullam Sacerdotibus molestiam exhiberent; hi ergo omnes imperio Strategi Thebaidis subdebantur. In primis Strategi commemorantur, quo in plurali Letronnius pag. 310. sibi videre videtur tum Lochum ipsum, tum Lochi praedecessores; eo scilicet praeiudicio tenebatur unicum fuisse Strategum. Equidem credo Sacerdotes maxime innuere voluisse Strategum Nomi Ombitis, et Strategum praesidii Ombitici seu Philarum, tum alios finitimorum Nomorum Strategos. Post Strategos recensentur Praefecti Nomorum, Thebarchae seu Thebarum Archontes, Regii Scribae qui tabulas descriptos exhibentes totius Nomi fundos (*Catasti* dicimus) servabant, aliique minores officiales, quos praetereo, id adnotasse contentus praecipuos totius Thebaidis ministros commemorari ab Obelisco, ut adeo constet universam Thebaidem

imperio Lochi paruisse. Quae quum ita sint, iure constituo Strategum Thebaidis vicariam operam commodasse Epistratego in administranda universa Epistrategia.

Quid vero de eius auctoritate in re iudiciaria existimandum sit docent Papyri V. VI. et VII. In iis enim Pastophori Amenophii Isidorum Procuratorem proventuum Pathyriti repetundarum accusant apud Phommutim Strategum Thebaidis; hic libellum remittit ad Hermoclem, quem Praefectum Peri-Thebarum fuisse opinor, hac addita adnotatione haud licere quidpiam exigere praeter id quod consuetudine receptum erat. Ergo in criminibus repetundarum, atque adeo in aliis, quae in Epistrategia administranda patrarentur, Strategus audiebat quidem querelas expostulantium, excipiebatque libellos supplices, definiebat etiam quid lex sibi a rege significata iuberet; sed quum erat de facto cognoscendum, ipsumque factum ad legem exigendum, Strategus committebat rem omnem Praefecto, seu iudici ordinario. Excipe tamen, uti mox dicam, si alterutra pars stipendia faceret; credo enim tunc Strategum litem diremisse veluti supremum fori militaris iudicem.

Iam quemadmodum universam Thebaidem unus Strategus imperio regebat, ita coniicere licet singulos etiam Nomos suum habuisse Strategum. Quod quum Letronnius adductis monumentis demonstraret de Romanorum aetate, simul monuit fuisse Strategos, qui duobus vel tribus Nomis praeessent. Paria de Ptolemaeorum temporibus statuenda esse persuasum habeo; sed vix demonstrare possum, quum Papyri Taurinenses fere omnes Thebis exarati perpaucos Strategos commemorent, sic Phommutim Strategum Thebaidis, de quo paullo ante disserui, atque Hermiam Συγγενη, Στρατηγον, και Νομαρχην, de quo iam dicam. Hunc principibus Strategis annumerandum esse suadet aulicus titulus Συγγενης *Cognatus*, quem supremum in aula honorem fuisse, ac solis primoribus concessum supra demonstravi. Sed ut de eius auctoritate faciliorem iudicandi copiam omnibus faciam, iuvat universa, quae de Hermia narrat Papyrus, congesta exponere. Hermias in urbe Latonpolis erat mense

Phamenoth anni LIII, inde enim epistolam dat ad Ptolemaeum Praefectum Diospolis significans curet ut Cholchytas mittat Latonpolim causam ibi dicturos coram Chrematistis. Tres menses Latonpoli moratus est; nam mense Payni Diospolim venit interfuturus pompae Ammonis. Ei Diospoli versanti Hermias petitor libellum inscribit; quare Strategus suum ad tribunal Cholchytas accersit. Hi vadimonium deserunt. Haud ita multo post κατα το αναγκαιον (pag. 3. lin. 6.) iubente militaris officii necessitate, uterque Hermias Strategus et Petitor ad Ombiticum praesidium remeant. Vix eo pervenerant, atque Hermias actor alium libellum suo Stratego Hermiae inscribit. Nequibat iste a Diospoli Cholchytas accersere Ombosum, ut causam suam perorarent; libellum itaque misit ad Heraclidem Praefectum Pathyriti, ubi Cholchytae domicilium habebant, qui tandem de lite cognovit ac sententiam tulit. Quod si Cholchytae causa cecidissent, remittendi ad Hermiam Strategum fuissent, ut in eos congruam mulctam decerneret (p. 3. lin. 13.) Hisce adde quae Hermias actor in Papyro II lin. 34. sq. narrat, se anno XLIX. libellum obtulisse Hermiae utique Stratego, qui Diospolim venerat, atque hunc iussisse domum reddendam esse actori.

Iam haec, quae rata ac certa suppeditat Papyrus qua tandem ratione componemus? Vel statuendum est, Hermiam fuisse Strategum militarem praesidii Ombitici, simulque civilem Nomorum Peri-Thebarum et Latonpolis; nisi enim auctoritatem in hos Nomos tenuisset, quomodo Cholchytas accersivisset Latonpolim, Diospoli ad suum tribunal advocasset? Vel dicamus oportet milites ea fori praerogativa usos esse, qua ad sui Strategi tribunal non tantum vocari, sed etiam ceteros vocare possent, licet sacerdotes, cuiusmodi erant Cholchytae. Primam coniecturam equidem improbaverim, quippequae ponit, tot tamque graves curas haud ita facile ob locorum distantiam implendas fuisse uni eidemque Stratego demandatas. Tanta ne Strategorum inopia laborabat Aegyptus, ut, si rex Hermiam praesidio Ombitico addicere voluisset, alter deficeret in universo regno Strategus, cui crederentur Nomi Pathyritis et

Latonpolitis? Alteram itaque coniecturam amplector. Militare forum apud veteres populos cum obvium, tum, etiamsi fingas inauditum, illud Ptolemaei instituere debuissent, qui, post occupatam armis Aegyptum, carioribus civibus, idest graecis militibus, gratificaturi militarem reipublicae temperationem condiderunt, atque adeo militare forum. Hoc semel posito, omnia optime cohaerent. Enimvero praesidii Ombitici Strategus erat Hermias, ex eiusdem praesidii ducibus erat Hermias actor. Quare ille militem suum in tutelam suscipiens Latonpolim accivit Cholchytas coram Chrematistis. Diospoli pro tribunali sedet. Ombosi libellum sibi oblatum accipit, ac commendat Heraclidi. Cholchytae si victi abiissent, a Stratego mulctam accepturi fuissent. Ita video omnia secum constare. Nisi res ita se habeat, quomodo tandem Papyri II. inscriptionem explicabimus? Hic enim ab eodem Hermia Ombosi stipendia merenti inscribitur Heraclidi Ιππαρχῃ *Magistro equitum*. Equidem rem ita declaro. Hermias Ombosi erat tamquam praesidii dux, evincere satagebat domum, Cholchytas ad tribunal militare accire nequibat Ombosum, Strategus aberat, ergo libellum Ιππαρχῃ, seu Magistro equitum, inscribit, quae dignitas proxima a Stratego fuisse videtur.

Ex hucusque disputatis colligitur Hermiam Strategum fuisse supremum praesidii Ombitici imperatorem. Eccur ergo salutatur etiam Νομάρχης? Puto, ut liquido pateret Hermiam fuisse etiam Strategum Nomi, qui Νομάρχης audiebat, atque adeo tum militari praesidio, tum civili administrationi Nomi praefuisse. Atque adeo verum est multos in Aegypto fuisse Strategos, qui vel universae Epistrategiae, vel unius tantum Nomi civiles rationes procurabant, ut Ptolemaeo interroganti τίνας δεῖ καθιστάνειν στρατηγούς; *quinam viderentur constituendi Strategi?* Interpres LXXVus (in Aristeae Epistola ad Philocratem fratrem) omnibus, quae ad bellum virtutemque militarem pertinerent, omissis, responderit ὅσοι μισοπονηρίαν ἔχουσι, καὶ τὴν ἀγωγὴν σαυτοῦ μιμούμενοι . . . . τὰ δίκαια πράσσουσι *qui improbitatem oderunt, tuaeque vitae rationem imitantes iusta agunt,*

quae soli civili administro congruere possunt. Vix LXVus quaestioni de Strategis fecerat satis, ac Ptolemaeus Interpretem LXVIum ita interrogat τίνας δεῖ καθιστάνειν ἐπὶ τῶν δυνάμεων ἄρχοντας? *quinam constituendi videantur copiarum imperatores?* Non ergo omnes Strategi erant imperatores.

Praesidium Ombiticum late per universos regni fines meridionales diffusum fuisse demonstrat haec Inscriptio a Burchardto *Travels in Nubia* p. 106. inventa in templo Dakkehensi: Απολλωνιος Απολλωνιου Στρατηγος Ομβειτου και του περι Ελεφαντινην και Φιλας ηλθον και προσεκυνησα θεον Ερμην μεγιστον *Apollonius Apollonii filius Strategus Ombitici, et (praesidii) circa Elephantinam et Philas veni et adoravi Deum Mercurium maximum.* Huic affinis est alia, quam Cl. Comes Carolus Vidua, qui multas gentes docte simul et diligenter vidit, exscripsit ex eodem templo Dakkehensi. Syllabas intra uncinos clausas equidem supplevi.

Απολ)λωνιος Πτολεμαιου (Αρα
βαρ)χου υιος Στρατηγος του
Ομβ)ειτου και του περι Ελεφαν
τινην) και Φιλας και παραλιαν της
Ερ)υθρας θαλασσης ηλθον (προσ
εκ)υνησα τον μεγιστον Ερμην
συν Α)ιναιωι τωι εμωι εταιρωι

tum minoribus litteris

. . . . υιος αναβας το πεμπτον ηλθον προς τον Ερμην
μετα συμ)βιου του Πτολεμαιου υιου Απολωνιου Αραβαρχου του
προγεγραμμενου

Apollonius Ptolemaei Arabarchae filius Strategus Ombitici, et (praesidii) circa Elephantinam, et Philas, et maritimam oram maris Erythraei veni, adoravi Mercurium maximum una cum Aenaeo meo socio. N. N. filius N. N. quintum huc ascendens veni ad Mercurium cum uxore Ptolemaei Apollonii filii Arabarchae supraiscripti.

Ex hucusque disputatis colligo fuisse 1.° Strategos praesidiorum,

2.° Strategos Nomorum, seu Nomarchas, 3.° Strategos Nomi simulque praesidii in eo positi, 4.° Strategum universae Epistrategiae, sic Thebaidis; quare Strategos duas in classes tribui posse, in militares, et civiles. Militares ducebant exercitus, imperabant praesidiis, ac in foro militari sententias ferebant. Strategi civiles, seu Nomarchae iussa a rege excipiebant significabantque Praefectis, vide pag. 2. lin. 23. 27. ac cetera curabant, quae ad Nomi administrationem pertinebant.

Strategum excipit dignitate proximus ὁ Ἐπιστάτης seu *Praefectus*; revera in Obelisco Philarum Praefecti proxime post Strategos ita commemorantur *Στρατηγοι και Επισταται*. Eorum gradus in militia plerumque erat *τῶν Ἀρχισωματοφυλάκων* *ex Ducibus Custodum Regii Corporis*, vide me ad Pap. XI. lin. 1; in aula titulo *τῶν φίλων*, seu potius *τῶν πρώτων φίλων* *ex primis amicis*, video honestatum fuisse Praefectum Papyri IX, alius Praefectus in Papyro VII. Parisiensi (vide me infra p. 74.) erat *εκ των περι αυλην διαδοχων*. Praefectis ob merita rex quandoque aliud concedebat munus *του επι των προσοδων του Νομου* *Procurationem redituum Nomi*, vide me supra ad p. 1. lin. 3. Honorum cursus eiusmodi erat, ut a Praefectura gradus fieret ad Strategiam Nomi; sic Hermias Praefectus Pathyriti fuit renunciatus Strategus Nomi et praesidii Ombitici, vide me ad pag. 4. lin. 22. Quisque Nomus suum habebat Praefectum; nam titulo Praefecti subditur nomen non Epistrategiae, sed unius Nomi, sic Ἐπιστάτης τοῦ Περιθήβας, vel *τοῦ Παθυρίτου* *Praefectus Peri-Thebarum*, aut *Pathyriti* saepe occurrit in nostris Papyris. Praecipuum Praefecti officium positum erat in ius dicendo inter litigantes, ita ut ille Praetori Romanorum recte comparari possit. Praeerat enim magistratui Praefecturae, qui ex multis *τοῖς συμπαροῦσι* *Assessoribus* dictis, constabat. Causae vel ipsi immediate proponebantur; sic in Papyro XI. Tasemis mulier Cholchytica adit Praefectum evictura paternos fundos a matertera usurpatos; sic in Papyro VIII. Petenephotes apud Praefectum accusat Amenothem violatae stipulationis de finibus intra quos quisque iure posset

cadavera incidere. Vel causae ad Praefectum deferebantur a Stratego seu Nomi, seu Epistrategiae; quod contingere solebat sive quando minores administri Strategi accusandi erant, actor enim ipsi offerebat libellum, Strategus vero remittebat ad Praefectum, vide Papyros V. VI. et VII; sive quando Strategus nequiret reos ab actore milite accusatos convenire, utpotequi alibi domicilium haberent. Praefectus ius dicturus primo supplicem libellum praelegebat iudicibus, tum orationes patrocinantium breviter perstringens utriusque partis argumenta exponebat, cum iudicibus suffragium ferebat, demum sententiam scripto mandabat additis sententiae rationibus. Decreta etiam, seu χρηματισμοὺς edebat; sic Hermias Praefectus imperat Taricheutis, ut tandem aliquando obtemperent regis et Strategi voluntati, qua iubebantur suum domicilium a Diospoli ad Memnonia transferre. Qua in re animadvertendum est Praefectum non fuisse huiusce translationis auctorem, quod ad civilem Nomi administrationem pertinuisset, sed tantum iussisse contumaces Taricheutas regiis mandatis morem gerere, quod ad ius pertinet; vide me ad pag. 4. lin. 22.

Post Praefectum commemorandus venit ὁ Ἀγορανόμος. Athenis τὸν Ἀγορανόμον fuisse scimus aedilem, iudicem et arbitrum pacis et boni ordinis in foro, moderatorem pretii annonarii, qui praeterea curaret, ut alimenta neque deessent, et tolerabili venirent. Agoranomus Aegyptius bis tantum occurrit in nostris Papyris. Ex Papyro IV. constat Apollonium εφ Ηρακλειδου Αγορανομου του Περιθηβας *coram Heraclide Agoranomo Peri-Thebarum* transegisse cum Psenchonsi aliisque Cholchytis litem a se institutam, ac novo contractu composuisse ea quae sub litem venerant. Ex Papyro VIII. edocemur pactum inter Paraschistas Petenephotem atque Amenothem de finibus, intra quos unusquisque cadavera incidere posset, stipulatum fuisse επι του εν τηι Διοσπολει ξενικου Αγορανομιου *in Diospolitano tribunali Agoranomi exterorum*. Tertium exemplum suppeditat Papyrus III. Parisiensis sistens Graecum contractum anni XVI. (Philometoris, uti equidem suspicor), quo Arsiesis filius Hori Cholchyta

Thebanus mutuo dat Asclepiadi feminae artabas frumenti viginti duas cum dimidia, ac restitutionis conditiones constituit. Iam vero, quod ad rem nostram facit, hic contractus stipulatus fuit εν Διοσπολει τηι μεγαληι της Θηβαιδος, επι Διονυσιου αγορανομου του Περιθηβας *in urbe Diospolis magnae Thebaidis, coram Dionysio Agoranomo Peri-Thebarum.* Dubio ergo vacat apud Agoranomum stipulatos fuisse contractus ad graecam consuetudinem celebratos; quem morem tenuerunt Aegyptii vel ipsa Romanorum aetate, nam contractus emptionis, quem refert Papyrus Parisiensis a S. Martinio in *Iournal des Savans* 1822. p. 566. descriptus, peractus dicitur επι Ρουφιλλου Νιγρου Αγορανομου *coram Rufillo Nigro Agoranomo.* Iam quum Heraclides dicatur Αγορανομος του Περιθηβας constat etiam eius auctoritatem pertinuisse ad universum Peri-Thebarum Nomum.

Atque hae sunt praecipuae dignitates, quae Aegyptum moderabantur aetate Ptolemaeorum. Alias variis in locis pro re nata illustravi, sic ο επι των προσοδων του Νομου p. 1. lin. 3. ο Βασιλικος Γραμματευς, nec non ο Κωμογραμματευς, et ο Τοπογραμματευς p. 3. lin. 33.

Lin. 13. Αντιγραφον) *Exemplar*, sic infra pag. 5. lin. 3. αντιγραφα συγγραφων Αιγυπτιων *exemplaria instrumentorum Aegyptiorum*, et in Papyro Grey Αντιγραφον συγγραφης Αιγυπτιας *exemplar instrumenti Aegyptii.* Opportune Wyttembachius ad Eunapium pag. 42. *Graeci commodius, ut locupletiore lingua utentes, id quod hodie vulgo dicimus* originale, *et* copiam, *dixerunt illud* αὐτόγραφον, ἀρχέτυπον, *hoc* ἀντίγραφον *et* ἀπόγραφον. Hinc a sequentibus verbis Ερμιαι Συγγενει κ. τ. λ. incipit exemplar libelli, quod desinit in verbo ευτυχει p. 3. lin. 16.

Lin. 15. Των περι αυλην διαδοχων). Adeo haud secus in Papyro VII. Parisiensi legi Επι Διονυσιου του επι ταγματος Ιππαρχων επ ανδρων, (και εκ των) περι αυλην διαδοχων, και Επ(ιστα)του του (Π)αθυρι(το)υ. Dubio caret τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν esse *Aulicos*, quod nomen latissime patens haud possum aliquo certo documento intra definitos limites circumscribere; persuasum tamen habeo hosce Aulicos

unum fuisse ex variis ordinibus procerum regni, qui distinctum tenebant locum in regni hierarchia, atque adeo nomen inter inanes honorum titulos connumerandum esse. A Polybio quidem lib. XVI. 22. 1. res Aegyptias describente commemorantur οἱ περὶ τὴν αὐλὴν, haud tamen ille definitum ordinem designare voluit, sed in genere universos regni primores. Idem paullo ante 21. 8. tradit Ptolemaeum dissipasse regiam pecuniam, eam erogando cum aliis, tum τοῖς περὶ τὴν αὐλὴν ἡγέμοσι, καὶ στρατιώταις *ducibus ac militibus aulae*; fortasse legio fuerit dicta ἡ περὶ τὴν αὐλὴν, cui aulam custodiendam, veluti proprium munus, Lagidae tradiderant. Quam coniecturam firmat alter Polybii locus lib. V. 65. 5. in quo Aegyptiam phalangem per partes describens, recenset τοὺς ἱππεῖς, τοὺς μὲν περὶ τὴν αὐλὴν ὄντας εἰς ἑπτακοσίους *equites, quibus aulae custodia commissa fuerat, erant ad septingentos.* Sed quum in hoc Papyri loco nullum militare nomen addatur, existimo nomine τῶν περὶ αὐλὴν non milites, sed Aulicos venire, atque hunc inanem fuisse titulum vero munere expertem. Vocabulum διάδοχοι supra ad lin. 6. illustravi; quapropter οἱ περὶ αὐλὴν διάδοχοι erunt *dignitate proximi ab Aulicis, seu Aulici secundi ordinis.*

Ibid. Ηγεμονος εκ ανδρων) Geminus est titulus in Pap. II. lin. 2, et in Papyro IV. Musei Aegyptio-Parisiensis. Ιππαρχης επ ανδρων. Ergo ne ἄνδρες erant peculiare militum genus hoc nomine donatum? Scio veterem Aegyptiorum militiam tributam fuisse in Ἑρμοτυβιεῖς et Καλασιριεῖς, teste Herodoto II. 164. IX. 31. quorum illi, auctore Iablonskio (1) erant milites veterani defensioni patriae unice addicti, alteri iuvenes; de quibus etymis fides sit apud Iablonskium, de iis enim nolo causam dicere. Non me latet Lagidarum aevo alios fuisse μισθοφόρους *mercede conductos*, sic μισθοφοροι ιππεις in Papyro III. 5, et IV. 5; alios vero κατοίκους *indigenas*, de quibus vide supra lin. 7. At numquam in universa antiquitate τοὺς ἄνδρας commemoratos vidi. Accedit, quod ineptum fuisset nomen, utpote

(1) Opuscula t. I. p. 69. 101.

adeo generale, ut species omnes humanas complexum fuisset. Nec ineptum tantum, sed etiam ridiculum fuisset in titulo Ιππαρχης επ ανδρων *Magister equitum super homines* Quare, his missis, aliam proponam coniecturam. Dubitare nequimus ἄνδρας, quibus Hermias praeerat, fuisse milites praesidiarios Nomi Ombitis, vide me supra ad lin. 9, atque adeo Hermiam non titulo tenus, sed revera stipendia fecisse. Eum itaque ἡγεμόνα ἐπ' ἀνδρῶν *ducem super homines* dictum existimo, ut distingueretur ab iis, qui, quum ἡγεμόνες sine ullo additamento salutarentur, civilibus officiis vacabant, atque erant tantummodo duces titulo tenus. Quamobrem ἡγεμὼν ἐπ' ἀνδρῶν est *Dux super homines*, qui revera homines ducit ac stipendia meret; ἡγεμὼν sine additamento est *Dux* gratiosa missione cum titulo donatus. Paria dicantur de Ἱππάρχῃ ἐπ' ἀνδρῶν Pap. II. Allatam coniecturam confirmant quae plus semel adnotavi de variis honorum titulis, quibus delectabantur Aegyptii; confirmat usus nostrae aetatis; quot enim sunt quovis in regno duces, qui milites desiderent? Nova ergo habemus nomina honoraria ἡγεμὼν, et Ἱππάρχης; et facile persuasum habeo, fuisse quoque Ἐπιστάτας *Praefectos* nulli Nomo praepositos, Ἐπιστολογράφους quorum calamus honesto quiesceret otio, et sic porro de ceteris. Semel ac enim coeptum est nonnulla verorum munerum nomina detorquere ad puros putosque titulos, progressu temporis nullum non fuit veri muneris nomen, quod non evaserit in honoris titulum.

Lin. 16. Επιβαλοντος) Ἐπιβάλλω *eo*, *venio* sine ullo impetu. Par est verbi potestas infra p. 2 lin. 17. πολλακις επιβεβληκοτος εις την Διοσπολιν *quum saepe Diospolim venissem*, et p. 3. lin. 1. επιβαλοντος σου εις την Διοσπολιν *quum Diospolim venisses*. Pacificum etiam et tranquillum iter notat apud Callimachum *in Del.* 68. πολίεσσιν ὅσαις ἐπεβάλλετο Λητὼ *quascunque urbes Latona adibat;* cum εἰς habet Polybius XII. 10. 2. ἐπιβαλὼν εἰς τοὺς Λόκρους *cum ad Locros venisset*. Rara tamen et sequioris Graecitatis est haec potestas verbi ἐπιβάλλειν, qua tranquillus iter agentis accessus notatur ad locum aliquem.

Lin. 20. Νεκρίαις) Νεκρία inauditum derivatum. Funera ne notat, an sepulcra et conditoria mortuorum? Atqui ad haec notanda multa suppetebant vocabula ex graeca lingua, quin necesse fuisset novam cudere vocem. Persuasum habeo νεκρίαν aliquid designasse quod ab Aegyptiis tantum, non item a Graecis, frequentaretur in condiendis colendisque defunctis; quod eo probabilius fit, quo magis in re funebri diversa erat utriusque gentis ratio. Iam, quum, uti disserens de Cholchytis dicam, hae liturgiae positae essent in cadavere fasciis obvolvendo, ornandoque, in oblationibus precibusque funebribus; videtur νεκρία generatim notasse *rem mortuariam*. Sic a νέκυς existit νεκυία *tractatus de Manibus*, *ars manium evocandorum*; a ταριχεύω fit ταριχεία, vel ταριχία *Diod. Sic.* I. 83. *salitura*, *ars*, vel *locus saliendorum cadaverum*. Quod ad λειτουργίας attinet, aio esse munera publica, quae ex adiunctis diiudicanda sunt. Sic Polybius vocem saepe usurpat de militaribus muneribus (1). Tum LXX. Interpretes modo ad rem militarem, modo ad sacram, quandoque etiam ad res aulicas vocem accommodant; hic vero de officiis sacris circa mortuos usurpatur, quemadmodum generatim de officiis Sacerdotum Aegyptiorum eam usurpaverat Diodorus Siculus I. 21. scribens τὰς τῶν θεῶν θεραπείας τε καὶ λειτουργίας.

Lin. 21. Καλουμενων δε Χολχυτων) Insignis locus, qui Cholchytarum officium hucusque eruditis incompertum demonstrat. Quum vero in universo hoc Papyro frequens de Cholchytis eorumque officiis mentio iniiciatur, operae pretium me facturum duxi, si, universis eiusmodi locis simul contractis, unica commentatione quidquid ad Cholchytas pertinet illustrem.

Quum universa Aegyptus varias in classes esset tributa, quae a propriis, quibus fungebantur, officiis, seu artibus nomen sortiebantur; tum facile praesensum est aliquam etiam classem lege constitutam fuisse, quae cadaveribus condiendis operam daret. Sed quia multa eaque varia officia peragenda erant, antequam cadaver rite

(1) Vide Lexicon Polybianum Schweighaeuseri ad v.

in arca reponi posset, classis, ut ita dicam, libitinariorum in varias species dividebatur. Has antequam attingam, opportunum duco Herodoti, et Diodori Siculi loca, in quibus ratio traditur condiendorum cadaverum apud Aegyptios, paucis perstricta in medium afferre. Herodotus lib. II. 86. memoriae prodidit, fuisse nonnullos constitutos, qui hoc artificium curandi cadavera factitabant (*εἰσὶ δὲ οἳ ἐπ' αὐτῷ τούτῳ κατατετάχαται, καὶ τέχνην ἔχουσι ταύτην* scilicet *τῆς ταριχεύσεως*): ad eorum domos cadaver fuisse delatum: ubi de pretio conventum erat pro vario conditurae genere, conditores coepisse suo officio fungi hunc in modum: primo cerebrum per nares educebant, tum acuto lapide Aethiopico circa ilia cadaver conscindebant (*παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην*), illac omnem alvum extrahebant, quem subinde complebant myrrha, casia, aliisque aromatibus: his peractis, cadaver saliebant nitro (*ταριχεύουσι λίτρῳ*) ad septuaginta dies: abluto cadavere, illud sindonis byssinae fasciis involvebant gummi sublinentes: postremo cadaver ita medicatum taeniisque involutum reddebant propinquis defuncti, qui ligneam thecam ad hominis effigiem elaborandam curaverant, in eaque mortuum condebant. Ita Herodotus, ut videatur unica species Paraschistarum fuisse. Sed Diodorus I. 91. rem enucleatius exponens ait: Qui cadaveribus curandis operam navant sunt artifices, qui hanc scientiam a maioribus suis acceperunt (*οἱ μὲν οὖν τὰ σώματα θεραπεύοντες, εἰσὶ τεχνῖται τὴν ἐπιστήμην ταύτην ἐκ γένους παρειληφότες*, ut pateat hanc esse artem a ceteris distinctam, atque ab iisdem familiis haereditario iure semper exerceri): cadavere ad hos delato, primus, quem scribam (*ὁ γραμματεύς*) vocant, sinistrum iliorum latus, quantum inde resecandum est, circumscribit: tum Incisor (*ὁ παρασχίστης*) lapide Aethiopico, ubi carnis quantum lex iubet dissecuit, extemplo quanto potest cursu aufugit, eum enim persequuntur quotquot adsunt lapides in eum coniicientes, et diris devoventes, ac si piaculum in eum conferant. Salitores vero cadaverum (*οἱ ταριχευταί*) omni honore et cultu dignantur; sunt enim sacerdotibus familiares, et in sacrarium, utpote sacri viri, libere

ingrediuntur. Hi ad sectum cadaver medicandum conveniunt, unus per hiatum intestina extrahit, alter alvum vino palmeo perluit, tandem cadaver ad complures dies aromatibus medicatum reddunt propinquis defuncti. Atque haec Diodorus Siculus, qui duas species commemorat hominum cadavera curantium, Paraschistas, et Taricheutas. Sed Papyrus noster ea documenta suppeditat, quibus Herodotus et Diodorus Siculus emendentur, simulque series variorum hominum, eorumque diversorum officiorum in mortuis medicandis accurate distinguatur.

Primi erant Paraschistae (*οἱ παρασχίσται*), quibus incisio cadaverum nomen fecit. Horum unus, *γραμματεὺς scriba* dictus, sinistrum iliorum latus circumscribens determinabat quantum carnis secandum esset. Alter carnem a Scriba designatam secabat lapide Aethiopico. Hic vix suo officio defunctus in fugam se coniiciebat; nam, auctore Diodoro, cum Aegyptii persuasum haberent odio dignum esse illum, qui corporibus vim, vulnusve, aut aliud detrimentum afferret, circumstans populus Paraschistam persequebatur lapidum iactu, et diris exsecrationibus. Quisque Paraschista suum habebat limitibus definitum territorium, in quo legitime munus suum exerceret; quod luculenter constat ex Papyro Taurinensi VIII in quo Petenephotes Paraschista Diospolis Amenothem Paraschistam accusat, quod pacta non ita pridem sancita de territorio inter se dividendo praetergressus cadavera inciderat in oppidis, quae suo territorio erant assignata.

Aditu iam patefacto ad viscera cadaveris, Paraschistae cadaver medicandum tradebant Taricheutis. Hi, uti perhibet Diodorus, intestina extrahebant, alvum abluebant, tum universum corpus aromatibus saliebant *ἐταρίχευον*, unde *ταριχευταὶ Salitores* dicti. Hanc alteram classem Herodotus cum prima Paraschistarum confudit, sed Diodorus luculenter utramque distinguit. Aliud officium Taricheutis assignat Porphyrius *lib.* IV. *de Abstinentia p.* 378. Ait enim Taricheutas ventrem e cadavere exemptum in arca reponere, tum eorum unum manu tenentem arcam Solem ceterosque Deos pro

defuncto precaturum formulam recitare, quam idem Porphyrius refert ab Euphanto graece versam: precatione peracta, arcam deiicere in flumen, reliquum subinde corpus, veluti purum, medicamine condire. Eadem fere habet Plutarchus in *Sept. Sapient. Conviv.* p. 627. *ed. Wyttenb.* Praeter hominum cadavera Taricheutae illa etiam curabant sacrorum animalium, eaque medicabant cedria, aliisque, quae fragrantiam et diuturnam cadaveris conservationem efficere possent, vide *Diod. Sicul.* I. 83.

Cadaver iam rite medicatum fasciis byssinis involvebatur, quod officium, a Diodoro praetermissum, Herodotus tribuit etiam Paraschistis. Equidem suspicor hoc munere fuisse defunctos Cholchytas (τοὺς Χολχύτας), quorum gratia omnis haec disputatio instituta fuit.

Cholchytarum nomen antea inauditum primum legendum se se obtulit Thomae Young V. Cl. in Graeco Papyro Eq. Grey, hisce verbis Χολχυτης των δ . . . . . της μεγαλης Οννωφρις Ωρου (1). Lacunam vix decem litterarum ita supplebat Cl. Anglus των δουλων Ισιδος της μεγαλης: deinde etymon vocis ex Coptica radice ϫολϩ *to dress*, *vestire* ducens, nomen explicabat Anglico vocabulo *Dresser*, ac suspicabatur hoc nomine venire Hierostolistas, qui templa cultu omni ornabant. Buttmannus quum incomperta habuisset ea quae ipse de Cholchytis attigeram in meo *Saggio di Studi Cofti* p. 3, ac docti Galli suis in Diariis Litterariis meam exponentes Commentatiunculam suo calculo probaverant, haec de nomine Χολχύτης scribebat (*Erklärung der Griechiscen Beischrift. Berlin* 1824. pag. 10.) *Haec appellatio certe efformata est a* Χολχὺς *quod erat habitatio quaedam aut* δῆμος = Rem acu tetigit Schomannus in *Kosegarten Bemerkungen über den Aegyptischen text eines Papyrus. Greifswald* 1824. *p.* 20. *sq.* coniiciens Cholchytas fuisse Sacerdotes, qui rei mortuariae vacarent. Nam praecipuum Cholchytarum officium illud fuisse curandi cadavera indubie evincit Papyri locus, unde orsa est haec Commentatio; ait enim τῶν τὰς λειτουργίας ἐν ταῖς νεκρίαις παρεχομένων, καλουμένων

(1) Young, An Account of some recent discoveries etc. p. 145. tum Encyclop. Britan.

δὲ Χολχύτων, ut pateat nomen Χολχύτης profectum esse ex natura muneris, quo perfungebantur circa cadavera. Praeterea ideo Hermias p. 2. lin. 22. non tantum iniustitiae, verum etiam impietatis arcessit Cholchytas, quia domum occupaverant sitam iuxta cursum Iunonis et Cereris, αἷς (θεαῖς) ἀθέμιτά ἐστιν νέκρα σώματα, καὶ οἱ ταῦτα θεραπεύοντες *quibus Deabus prophana sunt cadavera, tum prophani qui ea curant*, eaque in domo *cadavera deponebant* νεκρους απηρεισμενοι *ibid.* lin. 19. Tandem adeo pronum erat Cholchytas cum Taricheutis confundere, ut Hermias callide alteros ab alteris haud distinxerit, pag. 8. lin. 14. sq. Quae quum ita sint, equidem lacunam Anglici Papyri nuper commemorati ita suppleo Χολχυτης των Διοσπολεως της μεγαλης Οννωφρις Ωρου *Onnophris Hori filius Cholchyta Diospolis Magnae* (Mallem tamen τῶν ἀπὸ Διοσπόλεως, vide Adnot. ad pag. 1. lin. 9). Sane praedicatum μεγάλη Isidi tributum quo magis supervacaneum et improbabilius est in contextu Contractus, qui Deorum laudes haud sumserat celebrandas; eo magis, si suppleas Διοσπόλεως, nedum probabile, sed necessarium est in Contractu, qui urbem accurate definire debet, ut nullus pateat errori locus; norunt autem omnes complures fuisse Diospolis in Aegypto, et Thebaidis metropolim addito epitheto appellari consuevisse Διόσπολιν τὴν μεγάλην, quod Papyri omnes confirmant. Praeterea τῶν Διοσπόλεως pro τῶν Χολχύτων Διοσπόλεως *ex Cholchytis Diospoleos* paria habet exempla; sic in Papyro VIII. Πετενεφωτου Παρασχιστου των απο Διοσπολεως της μεγαλης, hoc enim genitivo non tam patria designatur, quam urbs in qua ex lege, vel ex privatis pactionibus, quisque poterat suum officium exercere. Lacuna ita suppleta, iam corruit quidquid Cl. Anglus de Hierostolistis templa aut simulacra Deorum ornantibus commentus fuerat. Etymon tamen acute vidit, quod pluribus verbis illustrare iuvat.

Memphitica radix ϫⲟⲗϩ in *Genes.* XXIV. 65. XXXVIII. 14. *Deut.* XXII. 12. *Psalm.* XLV. 9. CIV. 2. respondet graecis verbis περιβάλλειν, ἀναβάλλειν *involvere*, tum *Exod.* XXII. 27. *Psalm.* CIV. 6. respondet nomini περιβόλαιον: affinis radix Thebaica ϭⲟⲗϫ notat etiam

involvere, teste Zoëga *Cod. Coptic.* p. 520. et 555. Ex primaria *involvendi* potestate illa fluxit *amiciendi*, *induendi*, quatenus vestis *involvit* hominem, non vero quatenus *ornat*, idea enim ornatus ab hoc themate abest. Quapropter Χολχυται dicti sunt ab *involvendo* cadavere, quod rite medicatum, sed nudum acceperant a Taricheutis. Sane taeniis byssinis involuta fuisse cadavera et tradit Herodotus, et hodiernae mumiae evincunt. Porro hoc munus non mechanicum fuisse ac vulgare persuasum habeo, sed sacrum multorumque mysteriorum plenum, et ad regulas a legibus praestitutas exactum. Quum enim omnia mystica essent apud Aegyptios et arcanos sensus portenderent, tum id de universa cadaverum condiendorum cura nos dubitare haud sinit Herodoti locus ab Athenagora illustratus. Dixerat Herodotus II. 86. Paraschistas consuevisse propinquis defuncti ostendere exemplaria cadaverum lignea, et maxime unum accuratissimum, *cuius nomen*, inquit, *nuncupare fas non puto*; ad quae verba sic Athenagoras *Legat. pro Christ.* n.° 29. καὶ οὐ μόνον ὁ τάφος τοῦ Ὀσίριδος δείκνυται, ἀλλὰ καὶ ταριχεία *non solum Osiridis sepulcrum ostenditur*, *sed etiam ratio qua salitus fuit.* Omnia ergo ad primaevum typum Osiridis ab Iside curati peragebantur. Quid, quod? ipsae fasciae a Damascio appellantur αἱ Ὀσίριδος ἐπὶ τῷ σώματι περιβολαὶ *Osiridis fasciae circa corpus circumvolutae* (1). Quare quum in hodiernis Mumiis fasciarum ordinem miramur, easque cernimus modo in obliquum flexas, modo decussatas, modo rectas cadaver obvolvere, atque in omnibus omnia fere paria animadvertimus, suspicari possumus haec ad typum Osiridis exacta fuisse. Ad defuncti involutionem pertinent praeterea scarabaei, et funebris Papyrus, et quidquid una cum cadavere obvolvendum erat; pertinet tandem ornamentum ex globulis vitreis varii coloris concinnatum, filo per globulorum foramina transmisso, ut inde opus reticulatum exurgeret et quadratum, ex cuius angulis quatuor dependebant icunculae totidem Genios Telluris referentes; semel ac Cholchytae

(1) Damascius ap. Photium Biblioth. Cod. CCXLII. p. 1049. et Suidas ad v. Ἡραΐσκος.

hoc ornamentum imposuissent supra Mumiae rite involutae pectus, suo erant officio defuncti. Nam quod spectat ad arcam praeparandam, eamque inscriptionibus picturisque adornandam, existimo hoc ab aliis artificibus perfectum fuisse; imo Herodotus hoc insinuat inquiens: *ἐνθεῦτεν δὲ παραδεξάμενοί μιν οἱ προσήκοντες, ποιεῦνται ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα· ποιησάμενοι δὲ, ἐσεργνῦσι τὸν νεκρόν cadavere deinde recepto* (a Paraschistis) *propinqui defuncti ligneam arcam ad hominis effigiem efformatam faciunt, in eaque inserunt mortuum.* Rectius vero nos dicemus: propinqui defuncti, recepto cadavere a Cholchytis qui illud domi habebant (vide pag. 2. lin. 19), arcam extruendam pingendamque curabant.

Dixi non vulgare, nec vile, fuisse Cholchytarum ministerium. Quod adeo verum est, ut, cum Hermias Cholchytis accommodasset edictum, quod de solis Taricheutis latum fuerat, Cholchytae aegre ferentes se cum Taricheutis confundi censuerint sui Collegii honorem vindicandum esse; quare Dinon illorum patronus contendit pag. 8. lin. 14: *τους περι τον Ωρον μη ειναι Ταριχευτας, αλλα Χολχυτας· μηδε την αυτην εργασιαν επιτελειν, διαφερειν δε την τουτων λειτουργιαν Horum eiusque Collegas non esse Taricheutas, sed Cholchytas, neque idem ministerium peragere, sed publicum utrorumque munus differre.* Prorsus ut videamus Cholchytas praestasse Taricheutis, et superioris ordinis fuisse Sacerdotes, si tamen Taricheutae Sacerdotibus accensebantur; tum Taricheutarum nomen indecora aliqua nota inustum fuisse, quam ceteri a se amoliri studerent. Quare equidem de Taricheutis ea dicta credo, quae Pseudo-Manethon suggillans officia Sacerdotum Aegyptiorum in condiendis mortuis ita canit *Apotelesm.* lib. VI. v. 459.

. . . . τέχναις μυσαραῖς λυγρὸν βίον ἐξανύουσιν

artibus odiosis tristem vitam peragunt. Tum paullo post:

. . . . . νεκύας μαλερῇ πνείοντας ὑπ' ὀδμῇ,
γαστέρας ἀμπτύξαντες, ἰδ' ἔνγατα πάντ' ἀφύσαντες
χρίουσιν κέδρυ κυαναυγέος ἔνδοθι πίσσῃ

cadavera graveolentia prae foetore, ventres aperientes et intestina

omnia eximentes ungunt cedri nigricante intus pice. Praeterea persuasum habeo falsum esse Diodorum perhibentem, Taricheutas omni honoris significatione coli consuevisse, sacerdotibus fuisse familiares, atque in sacrarium, utpote sacros viros, libere ingredi potuisse. Rectius haec Diodorus scripsisset de Cholchytis. Ita enim pergit Dinon p. VIII. lin. 16: ετι δε και εν ταις γινομεναις δημοτελεσιν ενθεσμοις και επωνυμαις ημεραις μεταφεροντας αυτους κονιαν καταστρωννυειν επι του δρομου του Αμμωνος και δια του ιερου και εις το Ηραιον εισιοντας το ομοιον επιτελειν, και εν ταις κατ' ενιαυτον γινομεναις του Αμμωνος διαβασεσιν εις τα Μεμνονεια προαγοντας της κωμασιας τας καθηκουσας αυτοις λειτουργιας επιτελειν, και χολχυτουντας, και ειναι αυτων γερας. Singula perpendamus.

Particulis ἔτι δὲ innuunt Cholchytae sua munera non intra limites rei mortuariae coërceri, quemadmodum illa Taricheutarum, sed ad alia eaque nobiliora ministeria patere. Porro haec bifariam distinguunt pro variis pompis, seu generalibus, quibus omnium ordinum Sacerdotes intererant, seu specialibus, quae suum Sacerdotium propius attingerent.

Generales pompae, universisque Sacerdotibus communes, designari mihi videntur verbis δημοτελεσιν, ενθεσμοις, και επωνυμαις ημεραις. Tria epitheta hic coacervantur: δημοτελεῖς *publici* dies, sic Polybius VI. 53. 6. δημοτελεῖς θυσίαι *publica sacrificia*, et *Demosth. c. Neaeram* p. 1374. 2. (*ed. Reiske*) ἱερὰ δημοτελῆ *publica fana*, quae quisque ingredi poterat, in iisque τελεῖν τὰ ἱερά: ἔνθεσμοι *legitimi*, *a lege constituti*, vide III. *Macch.* II. 21. *Hesych.* ad h. v. *Bekker Anecd.* p. 251: ἐπώνυμαι alicui Deo vel Deae aut Heroi dicati, atque ab eius nomine nuncupati, vide *Inscript. Roset.* lin. 47. Sollemnes hosce dies unica voce πανήγυρις designat Inscriptio Rosettae; itemque *Herodotus* II. 58. de Aegyptiis festis diebus disserens distinguit πανηγύρεις et πομπάς. Porro ex hoc Papyri loco discimus in hisce πανηγύρεσι pompam consuevisse adoratum se conferre ad templum Ammonis, tum ad illud Iunonis, quae praecipua erant Aegyptiorum Numina, ille Deorum hominumque parens, haec Ammonis coniux atque amica;

Cholchytae vero intererant non tamquam ex plebe, sed officio fungentes, quod in eo positum erat, ut cursum Ammonis, templum ipsum, tum illud Iunonis pulvere respergerent. Hoc non eo spectabat, ut incedentium ordo sicco pede iter perageret; si enim ita esset, non erat cur pulvere etiam obducerent templorum pavimenta; debuissent etiam maximam arenae copiam curribus impositam ducere, palis spargere, ceteraque eiusmodi peragere, quae non Sacerdotes, sed mancipia decent. Haec itaque pura putaque erat caeremonia, quae mysticum aliquid portendebat. Anne mundi creationem? Anne Deorum beneficium, quo Aegyptus antea paludosa, atque a Nilo libere exundante occupata, evaserat continens? Vel censebimus designatam fuisse mortalem hominum conditionem? Multa ad comminiscendum ingeniosa quisque proponere potest, at nihil certi adstruere, quum sileant monumenta. Quare cetera persequar. Verba *διὰ τοῦ ἱεροῦ*, et *εἰσιόντας* ideo a Dinone callide iniecta puto, ut intelligerent omnes Cholchytis nedum aditum patuisse ad templa, sed in iis sacrum officium peregisse, atque adeo nobili munere fungi. Fortasse Taricheutae arcebantur a templis sollemnibus hisce diebus. Nam quum Diodorus loc. cit. posteaquam de Paraschistis et Taricheutis verba fecerat, speciatim moneat Taricheutas in templum libere ingredi posse inquiens *τὰς εἰς ἱερὸν εἰσόδους ἀκωλύτως ὡς ἱεροὶ ποιοῦνται*, facile insinuat parem facultatem Paraschistis haud fuisse concessam. Iam quum ego (iure, ut videor) ad Cholchytas transtulerim quidquid Diodorus de nobilitate et Sacerdotio Taricheutarum praedicaverat, coniicio etiam Taricheutas nequaquam potuisse libere templa ingredi.

Praeter generales sollemnitates, quibus Sacerdotes omnium Ordinum intererant, aliae fuerunt peculiares aliquorum tantum sacerdotum propriae. Inter has Papyrus veluti peculiarem Cholchytis memorat illam, qua Ammon quotannis deferebatur ad Memnonia. In ea Cholchytae universo incedentium ordini praeeuntes (*προαγοντες της κωμασιας*) propria officia publica (*τας καθηκουσας λειτουργιας*) peragebant. Augurari licet hanc pompam mortuorum gratia institutam

fuisse, quippequae ad Memnonia se conferebat, ac totius ordinis ductores habebat Cholchytas, qui officia sui sacerdotii exercebant. Sane quum in omnibus funeribus Aegyptiis, quae picta monumenta referunt, videamus aediculam Ammonis in cymba seu *bari* positam efferri a ministris, ac partem esse funebris pompae; iure coniicere possum, quod cuiusque funeris proprium erat, illud augustiore solemnitate semel in anno peractum fuisse pro universis defunctis, et Ammonis aediculam solito ornatiorem ad Memnonia fuisse delatam, ac si defunctorum omnium funera recolerentur illo solemni die. Haec munera καθηκουσαι λειτουργιαι profecto haud differunt a λειτουργιαις saepe commemoratis in Pap. Grey edito a Cl. Young in *Account* etc. p. 145. In eo enim Onnophris Cholchyta vendit Horo Cholchytae sextam partem λειτουργιων, vendit etiam sextam partem της λογειας seu *collectae* leguminum, vini, aliorumque, quae Cholchytae iure colligebant a cognatis illorum defunctorum (vide me ad Papyrum VIII. lin. 24.) quos Papyrus enumerat. Quamobrem infero quemque Cholchytam, rectius dicam unumquodque Cholchytarum collegium, designata habuisse in Memnoniis sepulcra familiarum, quae iurisdictioni suae legitimae essent subiecta; non secus ac de Paraschistis dicemus ad Papyrum VIII. Hinc est quod in Papyro IV. Parisiensi Osoroëris filius Hori Χολχυτης απο των εκ των Μεμνονειων *ex Cholchytis Memnoniorum* accusat apud Graecum magistratum nonnullos scelestissimos, qui ausi fuerant ingredi εφ ενα ταφον *in sepulcrum* suae iurisdictioni commissum, atque exspoliare cadavera; ubi animadvertere licet, non affines defunctorum, sed Cholchytam expostulasse iniuriam. Quod si definita habebant sepulcra, definitae etiam erant familiae, ac definita loca, in quibus Cholchytas agere possent; quare alii dicuntur οι απο της Διοσπολεως Χολχυται *Cholchytae Diospolis* in Papyro III. Parisiensi, alii οι εκ των Μεμνονειων Χολχυται *Memnoniorum Cholchytae* in Papyro IV. Parisiensi. Porro iurisdictio in eo posita erat: 1.° ut legumina, vinum, aliaque colligere possent; 2.° ut apud defunctos Cholchytica officia τας καθηκουσας λειτουργιας exercerent, praesertim solemni die, quo Ammoni

ad Memnonia deferebatur. Quid essent hae liturgiae nondum liquet. Coniicere possumus fuisse, 1.° preces, quae Diis infernis fiebant, ut mortui in contubernium suorum admitterentur, vide *Diodorum Sic.* I. 92, *Porphyrium de Abstin.* IV. p. 378, et funebres precationes in quovis Papyro funerario obviae: 2.° oblationes fructuum, vini, panis, florum, et similium, quae in fere omnibus Stelis funerariis picta conspiciuntur. Liturgiis accedebat cura sepulcrorum et arcarum in iis depositarum. Horum munerum gratia Cholchytas lucrum fecisse exploratum est, vendebant enim ius *λειτουργιων, καρπειων, και των αλλων*, vide Papyrum Grey lin. 17. Id quoque insinuant extrema verba loci, quem hucusque enarrabam, *και χολχυτόυντας, και ειναι αυτων γερας* *Cholchytas agere sibique premium propositum esse.* Iam si Cholchyta defunctum primo fasciis involvebat domi, tum per annum sacris officiis prosequebatur conditum in Memnoniis, facile adducor, ut credam Cholchytam munere etiam aliquo functum esse quum cadaver funere efferretur. Saltem Cholchytae erat claudere et reserare sepulcrum suae fidei ac religioni concreditum, quod sine aliquo ritu intelligi nequit. Sed haec fortasse maiorem lucem accipient ex pictis monumentis.

Haec scripseram, quum Vir. Cl. Philippus Buttmannus humanissime ad me misit duos Demoticos Papyros lithographice expressos Musei Berolinensis, quos, utpote cum re nostra cohaerentes, paucis describam (1). Uterque contractus initus fuit eadem die vigesima Payni anni XLVI. Evergetis II. in urbe Diospolis Magnae inter Cholchyticas familias. In primo Horus Hori filius ex matre Tsenpoëri natus vendit Osoroëri Hori filio ex matre M . . . ri . . nato liturgicum suum ius, quod in defunctos nonnullarum familiarum exercebat. Unius familiae exemplum dabo ex linea sexta: *Item ei vendo Puros* (seu Mumias) *qui iacent in Thyope* (nomen sepulcri affine illi *Thynabunun*) *quorum en numerum, Arsiesis filius Nectmonti*,

---

(1) Eos subinde editos vidi in opere *Frid. Spohn de lingua et literis veterum Aegyptiorum, ed. Seyffarth, Pars I. Lipsiae* 1825. Titulo Ωρος Ωρου donantur; ac licet Spohnius eos enarrare tentaverit, mea versio utpote longe dissimilis a Spohniana nondum praeoccupata fuit.

Chapoconsis filius Nectmonti, ... isis filius Osoroëris, Snacomneus eius frater, Chapoconsis eius frater, Sminis Hori filius eius (affinis?), Horus eius (affinis?) filius Sputi, Osoroëris filius Sputi, Chapoconsis filius Sputi, Sputus filius Nectmonti, ... isis filius Petenephotis, Petemnestus filius Petenephotis, Osoroëris filius Petenephotis, ... isis filius Smini, Smini filius Petemnesti, Puri (seu Mumiae) *XV, qui iacent in Thyope.* In altero Contractu idem Horus Hori filius ex matre Tsenpoëri natus vendit Petemnesto Hori filio ex matre M ... ri .. nato par liturgicum ius. Atque quum eadem sepulcrorum et Mumiarum nomina occurrant, coniicio Horum ex suis iuribus partem vendidisse Osoroërio, partem Petemnesto. Sane in Papyro Casatii Onnophris sextam tantum partem vendidit suae λογείας. Quamvis vero secutus methodum Champollionii interpretationem Papyri Parisiensis, et duorum Berolinensium, tentaverim, nondum tamen potui *Cholchytae* nomen Demotice expressum deprehendere, quod multam lucem affunderet etymo vocis. *Puros*, seu *Mumias*, verti, namque vidi iisdem Demoticis signis scribi nomen *Sacerdotis*, ac nomen *Mumiae*; iam vero in eo tantum consentire potest utrumque nomen, quod derivetur ex radice ⲟⲩⲁⲃ *purus mundus esse*, unde ⲟⲩⲏⲃ formâ passivâ *Sacerdos*, tum etiam *Mumia* a Salitoribus purgata ac mundata.

Pompam hucusque a me illustratam, qua Ammon ad Memnonia deferebatur, eandem ne esse censebimus, ac illam commemoratam pag. 3. lin. 2. iis verbis *προς την διαβασιν του μεγιστου θεου Αμμωνος*? Res non ita facile definiri potest. Scimus enim aliam consuevisse quotannis celebrari *διάβασιν* Ammonis in Libyam, narrante Diodoro Siculo I. 97. *κατ' ἐνιαυτὸν παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις τὸν νεὼν τοῦ Διὸς περαιοῦσθαι τὸν ποταμὸν εἰς τὴν Λιβύην*, idque in memoriam congressus Iovis cum Iunone in Aethiopia, quam etiam expressit Homerus *Il.* ξ'. 346. Quum haec *διάβασις* omnino differat ab illa ad Memnonia, quippe defunctorum gratia suscepta, affirmari nequit utra esset illa, ad quam celebrandam Hermias mense Payni Thebas se contulerat, suspicor tamen Libycam fuisse.

Ex dictis colligitur: Cholchytas fuisse sacerdotes improprie dictos atque infimi ordinis, qui cadaver a Taricheutis medicatum involvebant fasciis: λειτουργίαις sacris officiis quemque Cholchytam functum esse apud defunctos familiarum, quarum sepulcra ipsis erant lege aut pactis tributa: collegisse legumina, vinum, aliaque, quibus vitam sustentarent; alia praeterea lucra fecisse, quae pretio aestimabantur ac vendebantur: quovis anno, quum Ammonis aedicula ad Memnonia deferretur, Cholchytas pompam deduxisse, atque in Memnoniis λειτουργίας obiisse: fortasse etiam in funeribus suum habuisse locum: templa libere ingredi potuisse: immo in pompis dierum eponymorum pulvere respersisse cursum Ammonis, eiusque templum, tum Iunonis sacellum: tandem ipsorum officium, licet circa rem mortuariam versaretur, fuisse tamen in honore.

Tandem non praetermittam foeminas, quae ad Cholchytarum familias pertinebant, dictas fuisse Χολχύτιδας, communicata appellatione. Habemus enim in Papyro XI. nomen Τασημιος της Σελωιος Χολχυτιδος *Tasemis filiae Selois Cholchytissae.*

Lin. 24. Περισυνκεχωρημενον) Delectabantur Aegyptii verbis duplici praepositione compositis. Paria exempla habes in συνεισδίδωμι II. 11. παραναγινώσκω III. 20. IV. 32. συναναφέρω III. 23. προεπισκήπτεσθαι VI. 7. προσυποδείκνυμι VI. 19. Ceterum de domicilio Cholchytarum dicam inferius ad pag. 4. lin. 22.

Lin. 25. Περιστασει) Vox ad etymon exacta notat *circumstantiam*, maxime vero usurpatur de calamitoso, infelici rerum statu, vide *Lexicon Polyb. ad v.* Quare Hesychius Περίστασις, θλίψις, ἀνάγκη, μέριμνα. Vide etiam Arrianum *ad Epitect.* lib. II. cap. 6. p. 197. *ed. Upton.* Idem notans calamitosam tempestatem occurrit in magna Stele Taurinensi.

Lin. 27. Εκ του απο νοτου και λιβος) Subintellige μέρους, quae ellipsis in Papyro Anastasy ita manifeste suppletur ἐν τῷ ἀπὸ νότου μέρει Μεμνονέων. Sita ergo erat haec domus in parte *Sud-Ouest* Diospolis; tum a duobus δρόμοις seu cursibus hinc a septentrione, et

hinc a meridie intercipiebatur, quorum alter ad Iunonis, alter ad Cereris templum ferebat.

Lin. 28. Του δρομου) Strabo lib. XVII. p. 1158. Aegyptii templi partes describens tradit, in ingressu fani fuisse λιθόστρωτον ἔδαφος pavimentum lapidibus stratum, latitudine quidem unius plethri, vel paullo minus, longitudine vero tripla, quadruplave, vel etiam maiore quibusdam in templis; hoc vero δρόμος *Cursus* appellabatur, καλεῖται δὲ δρόμος τοῦτο.

Ibid. Επι ποταμον της . . . Ηρας) Certe fluminis nomine intelligendus hic venit canalis, qui fluvii, seu Nili, aquam deferebat ad templum. Sic in Inscriptione Rosettae lin. 25. τὰ στόματα τῶν ποταμῶν sunt *ostia canalium Nili*. Cum hoc conferam locum Papyri X, in quo alicui fundo, vel domo, cohaerere dicuntur νοτου Ανουβιειου, βορρα λιμνη του θεου *ad austrum Anubidis templum, ad septentrionem stagnum Dei*. Commemorare possem ichnographias variorum templorum in magno opere *Description de l'Égypte*, quae prope τεμενος habent sat ampla stagna in solo cavata, opportunis gradibus instructa, quibus in illa descendatur; nonnulla etiam stagna templis proxima commemorat Belzonius (*Voyages en Égypte, en Nubie* tom. I. p. 196. 353). Perpendenti mihi apud veteres populos lotiones tum frequentatas fuisse ab iis, qui sacris operarentur, tum etiam adhibitas ad numinum vel heroum statuas a foeditatibus contractis purgandas, qua de re multa disserit Spanhemius ad Callimachi Hymnum in *Lavacrum Palladis*, visum est statuere in quovis Aegyptio templo fuisse stagnum, aquaeductum, aliudve id genus, quod, cum sacris ablutionibus inserviret, nomen sortiretur a principe Templi Numine; sic prope templum Anubidis erat λίμνη τοῦ θεοῦ *stagnum Anubidis*, ad templum Iunonis erat *canalis Iunonis*, et sic de ceteris. Quum vero nefas esset impuris pedibus sacrum solum terere, hinc eiusmodi stagna in ipso ingressu sacrae telluris collocabantur, atque adeo cohaerere poterant cum prophanis domibus, aut fundis.

Lin. 29. Τοιχοι) Alexandrini ὁ τοῖχος scribebant pro communi τὸ

τεῖχος, quod ex compluribus locis Versionis Septuagintaviralis constat, vide Trommium *Concord. Graec. in Septuag. Interpretes* ad v. τοῖχος; sic etiam τοῖχος in Pap. II. lin. 25.

Ad Paginam 2.

Lin. 1. Καθειρημενα) Ita perspicue. Ειρημενα a ῥέω dictum autumo pro ἐῤῥημένα. Iam vero καταῤῥέω est *collabor*, *concido*.

Lin. 2. Μεταλαβοντος) Μεταλαμβάνειν *participare*, *participem esse* occurrit apud Polybium (1), et in libro *Sapientiae* XVIII. 9. Hinc *particeps factus est*, *rescivit*, *accepit*, sic II. *Macchab.* IV. 21. μεταλαβὼν Ἀντίοχος *quum Antiochus accepisset*, vide etiam *ib.* XI. 6. XII. 5. XIII. 10. XV. 1. construitur tamen cum accusativo. Contra noster vel cum genitivo construit, sic infra p. 6. lin. 34. ων και μεταλαβοντα, vel, ut hic loci, υπερ ων μεταλαβοντος.

Lin. 3. Εν τωι ΜΕ) Anno XLV. certe Evergetis II.

Lin. 5. Χρηματισταις) Quum saepe sive Papyri, sive alia Lagidarum monumenta exhibeant verbum χρηματίζειν, eiusque derivata χρηματισμὸς, χρηματιστὴς, quae ad Aegyptiam iurisprudentiam et oeconomiam pertinent, paullo accuratius de iis agendum est, licet Letronnius (*Recherches pour servir à l'hist. de l'Égypte* p. 331.) nonnulla iam recte praeoccupaverit.

Passiva vox seu media χρηματίζεσθαι a probis scriptoribus semper usurpata fuit de eo qui divitias comparare satagit, quaestumque facit, numquam de rescriptis aut consiliis circa res publicas (*Coray ad Isocr.* tom. II. p. 326). Sed activa vox χρηματίζειν praeter cetera notat apud veteres scriptores *tractare publica negotia* nempe χρήματα, *deliberare*, *responsum dare*, vide Xenophontis loca in *Stürz Lex. Xenoph. ad v.* confer Thucydidem I. 87. V. 5. et Demosthenem in *Ind. Graecit. ed. R. ad v.* Hinc etiam *audientiam alicui facere*,

(1) Lexicon Polybianum Schweigh. ad v.

respondere legatis vel consulentibus (*Wyttenbach. Animadv. in Plutarch.* p. II. p. 815). Quod de regibus audientiam facientibus, tum de aliis, qui regis nomine civium petitiones excipiunt et responsa dant, intelligendum esse multa exempla evincunt, quae quum pigeat sigillatim in medium afferre, vide ea in Lexico Polybiano et Indice Graeco Diodori Siculi ad v. χρηματίζειν, χρηματισμός. Accedunt LXX. Interpretes, quibus χρηματίζειν est *respondere. Iob.* XL. 3. *Ierem.* XXV. 30. et χρηματιστήριον *locus, solium*, in quo responsa dantur III. *Esdr.* III. 15. *Aquil. Theod.* III. *Reg.* VI. 5. 19. et alibi. Apertissime vero de Lagidis audientiam facientibus usurpat plus semel Aristeas in *Epist. ad Philocrat.* cuius loca recensere iuvat. Ptolemaeus ita quartum Interpretem interrogat: πῶς ἂν ἐν τοῖς χρηματισμοῖς καὶ διακρίσεσιν εὐφημίας τυγχάνω καὶ ὑπὸ τῶν ἀποτυγχανόντων; *quomodo nam in audientiis, et iudiciis, laudem consequar vel apud eos, qui suo sunt voto frustrati?* Idem rex τὸν δημόσιον χρηματισμὸν παρίει, τοῖς δὲ τεχνίταις παρήδρευεν ἐπιμελῶς *omissa publica audientia, artificibus maxima cura assidebat* pag. XI. *ed. Hodio Oxon.* 1705. Praeterea Aristeas p. XXXIV. profitetur se quidquid narraverat accepisse ab iis, qui annotare solent omnia, quae fiunt et dicuntur ἔν τε τοῖς χρηματισμοῖς τοῦ βασιλέως, καὶ ταῖς συμποσίαις, tum subdit: ἔθος γάρ ἐστι, καθὼς καὶ σὺ γινώσκεις, ἀφ' ἧς ἂν ἡμέρας ὁ βασιλεὺς ἄρξηται χρηματίζειν, μέχρις οὗ κατακοιμηθῇ, πάντα ἀναγράφεσθαι τὰ λεγόμενα· καλῶς γινομένου καὶ συμφερόντως. τῇ γὰρ ἐπιούσῃ, τὰ τῇ πρότερον πεπραγμένα καὶ λελαλημένα πρὸ τοῦ χρηματισμοῦ παραγινώσκεται, καὶ, εἴ τι δεόντως μὴ γεγονὸς, διορθώσεως τυγχάνει τὸ πεπραγμένον, *nam mos est, uti probe scis, ut a die quo rex incipiat publicam audientiam facere, quoad moriatur, omnia excipiantur scripto quae dicuntur. Recte porro et utiliter; nam sequenti die ea quae superiore acta et dicta sunt praeleguntur antequam novae audientiae vacet rex, et si quid parum recte gestum est emendatur.* Quare Ptolemaeus Philopator in castris utebatur duobus tabernaculis, altero, in quo χρηματίζειν εἰώθει καὶ δειπνεῖν *audientiam facere et coenare solebat*, quod etiam appellabatur χρηματιστικὴ σκηνή,

altero, in quo somno indulgebat, vide *Polyb.* V. 81. 5. Hinc in regia aula Alexandrina erat ὁ χρηματιστικὸς πυλὼν τῶν βασιλέων *porta qua aditus patebat ad audientiam regum*, vide *Polyb.* XV. 31. 2. A prima responsi voce redditi significatione facile ὁ χρηματισμὸς transiit ad responsum litteris consignatum. Sic in Obelisco Philarum Sacerdotes rogant, ut Rex congruum suis expostulationibus responsum det διδόναι τοὺς καθήκοντας περὶ τούτων χρηματισμοὺς, quod utique erat scriptis mandatum, ubi metonymice χρηματισμοὶ *responsa* pro *iussis* usurpantur. Item Inscriptio Rosettae lin. 51. (vide textum restitutum a Letronnio *Rech.* p. 331.) praecipit, ut nomina Sacerdotum Dei Epiphanis locum habeant εἰς πάντας τοὺς χρηματισμοὺς in omnibus responsis scripto consignatis, seu, ut rectius dicam, in protocollo actorum publicorum. Ex dictis patet χρηματισμοὺς esse responsa, aut rescripta, seu regis, seu magistratuum ad petitiones sive voce, sive scriptis, oblatas de rebus ad ordinem vel politicum vel iudiciarium pertinentibus, improprie vero usurpari de iussis quibuscumque seu regis, seu primorum, itemque de actis publicis.

Hisce in antecessum constitutis, ad Papyrum veniamus.

Hermias p. 8. lin. 8. 10. 33. dicitur in medium attulisse χρηματισμοὺς de Salitoribus ab urbe ad Memnonia transferendis. Hi porro, uti colligitur ex pag. 2. lin. 23. sq. erant: 1.° Relatio Tatae Medici Regii ad Aeneam Strategum, qua ipsi renunciabat regem iussisse transferendos esse Cholchytas: 2.° Epistola Aeneae Strategi ad Ptolemaeum Praefectum de eadem re: 3.° Diasthenis Strategi Epistola de eadem translatione. Iidem χρηματισμοὶ ordine paullo mutato ita recensentur pag. 4. lin. 22. sq. 1.° Hermiae Cognati Strategi et Nomarchae χρηματισμὸς una cum Diasthenis Strategi Epistola ad Hermiam praedictum, et Epistola Sacerdotum Ammonis, ac Relatione Pamonthi Loci-Scribae: 2.° Aeneae Strategi Epistola de Salitoribus transferendis ad Memnonia. Quisque videt nomine χρηματισμῶν hic venire iussa regis, et rescripta procerum regni — Pag. 9. lin. 6. χρηματισμὸς generatim usurpatur pro rescripto, aut sententia, seu regis, seu magistratuum — Pag. 8. lin. 35. et p. 9. lin. 1.

οι προς Αρμαιν και Απολλωνιον και τους αλλους χρηματισμοι sunt acta causae ab Hermia institutae apud Chrematistas χρηματιστάς contra Armaim et Apollonium. Dicendum ergo est de Chrematistis, quorum decreta χρηματισμοὶ appellantur.

Hermias de lite, quam Lobaiti intendit, ait pag. 2. lin. 5. τοις εν τηι Θηβαιδι χρηματισταις ενεβαλον εντευξιν εις το προτεθεν υπ αυτων αγγειον εν τηι Διοσπολει, ων ην εισαγωγευς Διονυσιος *ad Chrematistas in Thebaide inieci libellum in vas ab ipsis propositum in urbe Diospolis, quorum dux erat Dionysius.* De eadem lite verbis paullo mutatis sic p. 3. lin. 24. εμβαλοντος αυτου (εντευξιν) εις το προτεθεν αγγειον υπο των εμβαλοντων εις Διοσπολιν την μεγαλην χρηματιστων, οις εισηγεν Διονυσιος *quum ipse* (Hermias) *iniecisset libellum in vas propositum a Chrematistis, qui, duce Dionysio, Diospolim magnam venerant.* Apud Chrematistas fuit etiam inter Hermiam et Armaim Sacerdotem Ammonis dicta causa de cubitis XX. terrae frugiferae pag. 3. lin. 34. sq. Tandem in Papyro IV. Apollonius mercenarius eques Diospolis Magnae ενεβαλεν κατ αυτων (scilicet in adversarios Cholchytas Thebarum) εντευξιν εις το προκειμενον εν Πτολεμαιδι αγγειον υπο χρηματιστων, ων εισαγωγευς Αμμωνιος του μδL επειφ περι τε οικιας απο πηχων δεκα εξ . . . και περι υβρεως και πληγων, *contra adversarios libellum iniecit in vas Ptolemaide propositum a Chrematistis, quorum dux Ammonius, anno XLIV mense Epif, de domo cubitorum sexdecim, nec non de iniuria* etc.

Ex allatis locis pronum est colligere τοὺς Χρηματιστὰς fuisse iudices, qui forenses causas easque graves discernerent in suis χρηματισμοῖς *audientiis*, quas civibus faciebant nomine Regis supremi χρηματιστοῦ. Hinc efformatum verbum χρηματίζω, cuius passiva vox occurrit in Papyro pag. 2. lin. 32. ινα χρηματισθησοιτο υπόμνημα *ut libellus Chrematistarum iudicio subiiceretur.*

Hos urbes indicando peragrasse evincunt verba υπο των επιβαλοντων εις Διοσπολιν την μεγαλην χρηματιστων *a Chrematistis qui Diospolim magnam se contulerant.* Eadem praeterea innuunt Chrematistas stabilem sedem Diospoli non habuisse, Hermias enim illam

Chrematistarum Thebas adventantium occasionem sibi arripiendam esse duxit. Praeterea si certum domicilium Diospoli haec curia habuisset, quorsum illa tam enucleate exposita, iniectum esse libellum in vas a Chrematistis exhibitum Diospoli? cur Apollonius Thebanus Thebanos Cholchytas accusavisset apud Chrematistas in urbe Ptolemaidis? Cur Hermias, quum Thebis esset, diem dixisset Thebanis Cholchytis in urbe Latonpolis apud Chrematistarum curiam?

Quum ergo provincias discurrerent, princeps ordinis Chrematistarum dicebatur εἰσαγωγεὺς *introductor*, *ductor*, *dux*. Non me latet aliam esse huius nominis potestatem iuridicam, qua Athenienses εἰσαγωγέα appellabant illum, qui causas in curiam introducebat, actionemque dabat petitori decernens τὴν δίκην εἶναι εἰσαγώγιμον (vide *Bekker Anecd. Graec.* p. 246. *Demosth.* p. 976. 14. 17. *ed. R.* et *Harpocration ad v.* Διαιτηταί) verum apud Aegyptios εἰσαγωγέα fuisse non libelli et causae apud iudices introductorem, sed Chrematistarum in urbes, luculenter evincunt verba pag. 3. οις (χρηματισταις) εισηγεν Διονυσιος, scilicet Dionysius in urbes, quas secum praestituerat, iudices introducebat.

Quare nomini Chrematistarum nullus genitivus alicuius etiam principis urbis accedere solet, puta Diospolis, Latonpolis, Ptolemaidis, ut intelligamus multis urbibus, quas pererrabant, ius dixisse; bene vero dicuntur οι εν τηι Θηβαιδι χρηματισται επιβαλοντες εις Διοσπολιν την μεγαλην. Atqui Thebais erat nomen Epistrategiae; probabilis ergo coniectura mihi sese offert, qua credam Chrematistarum auctoritatem ad universam Epistrategiam pertinere. Eandem confirmat Papyrus IV. Nam Apollonius Thebanus Thebanos Cholchytas accusaturus apud Chrematistas libellum coniicit in vas Ptolemaide propositum. Sane Ptolemais erat in Nomo Panopolite, ac nulla alia cognatione Ptolemais et Diospolis inter se continebantur, nisi quatenus utraque ad eandem Epistrategiam pertinebat. Quare quum Apollonius certo sciret, Chrematistas eo anno XLIV. Thebas venturos non esse (venerunt autem sequente anno, nam ad annum XLV. pertinet lis Hermiae in Lobaitem) ac nollet

litis contestationem longius differre, diem Cholchytis dixit in urbe Ptolemaidis. Tandem Hermias, posteaquam Thebis apud Epistrategum Cholchytas accusaverat, spe sua frustratus petiit, ut libellus Chrematistarum iudicio proponeretur; voti compos factus libellum reddidit in urbe Latonpolis; rei iussi sunt Latonpolim se conferre ad causam dicendam. Atqui maxime probabile est Latonpolim iam tum principem urbem fuisse Nomi Latonpolitani. Ideo ergo Thebanus homo, qui Thebis tunc erat, vadimonium Thebanis Cholchytis constituit in alio Nomo, quia litem intentabat apud eam curiam, quae ius dicebat in universa Epistrategia. Porro fide maius est Chrematistas per Epistrategiam vagantes nullibi saltem ad aliquot menses consedisse. Quare, si aliqua urbs, veluti certa sedes, ipsis assignanda est, ea non alia esse poterat, quam quae totius Epistrategiae princeps item erat Epistrategi domicilium. Quod si verum est, iam licebit asserere, quemadmodum administrandae Epistrategiae praeerat Epistrategus, ita unicuique Epistrategiae suam fuisse Chrematistarum curiam; quae analogia inter ordinem politicum et iudicialem maxime mihi videtur Aegyptiae sapientiae digna.

Sed quum in unoquoque Nomo Praefectus, Agoranomus, aliique fortasse minores iudices essent, quid causae fuit, cur Aegyptii hanc errantem curiam instituerent? Anne ut quaevis Epistrategia tribunal haberet, ad quod provocaret a Praefecto? Fuerat haec fortasse suprema appellationis curia, sed ex monumentis nondum constat; enimvero Hermias Lobaitem et Armaim accusavit in primo, ut aiunt, accusationis gradu apud Chrematistas. Censuram ne in iudices Nomi exercebant, ut adeo cives ad eos deferrent suas in iudices querelas? Vas propositum, de quo mox dicam, huic coniecturae suffragari videtur. Aliae item coniecturae proponi possunt; in his subsidiariam curiam concessam fuisse Praefecto, utpote qui vix posset de omnibus Nomi litibus cognoscere; civibus tribunal propositum, ut iure suo potiretur, quoties Praefectus actionem negaret aut differret. Sed non est cur coniecturis indulgens periculosam ingrediar disputationem, quum Aristeas Lagidis coaevus

luculentam eamque maxime probabilem institutionis causam memoriae prodiderit. Enimvero de urbium amplitudine civiumque frequentia concilianda cum agricolatione et cultu finitimorum agrorum agens Aristeas in hoc maxime vitiosam Alexandriam notabat, quod, cum omnes urbes et magnitudine et affluentia rerum superaret, in eam ex omnibus regni partibus commeantes Aegyptii, dum diutius in ea morabantur, cultum agrorum imminuerent. Quare rex edicto vetuit, ne exteri in urbe versarentur ultra viginti dies. Tum subdit: καὶ τοῖς ἐπὶ τῶν χρειῶν ὁμοίως δι' ἐγγράπτων διαστολὰς ἔδωκεν, ἐὰν ἀναγκαῖον ᾖ κατακαλέσαι, διακρίνειν ἐν ἡμέραις πέντε. Πρὸ πολλοῦ δὲ ποιούμενος, καὶ χρηματιστὰς καὶ τοὺς τούτων ὑπηρέτας ἐπέταξε κατὰ νόμους· ὅπως μὴ πορισμὸν λαμβάνοντες οἱ γεωργοὶ καὶ προστάται τῆς πόλεως ἐλαττῶσι τὰ ταμεῖα, λέγω δὲ τὰ τῆς γεωργίας πρόσφορα. *Item officialibus per litteras praecepit, ut, si necesse haberent aliquem in ius vocare, intra quinque dies sententiam ferrent. Praeterea quum id maxime cordi ipsi esset, ex legibus constituit Chrematistas eorumque ministros, ne agricolae et defensores victus suppeditationem accipientes minuerent horrea civitatis, idest fructus agriculturae.* Quem locum Humphredus Hodius (*de Biblior. textibus original. Oxonii* 1705. *pag.* XIV.) ita reddiderat: *Etiam illis, qui haberent negotia in civitate, praescripsit modum et tempus ad diiudicanda ea: ut si quis esset vocandus in ius, intra quinque dies negotium eius in iudicio expediretur. Cumque etiam frumentarios commeatusque curatores et eorum ministros magnifaceret, legibus ordinavit, ut ne agricolae et praefecti civitatis quaestum facientes minuerent cellas et horrea, idest fructus agriculturae.* Sed multa Hodium fefellerunt. Atque in primis οἱ ἐπὶ τῶν χρειῶν sunt *officiales* praepositi negotiis sive politicis, sive iudiciariis; sic I. *Macch.* XIII. 37. οἱ ἐπὶ τῶν χρειῶν sunt *praepositi*, interprete Vulgata Latina; tum *ib.* X. 41. pro οἱ ἀπὸ τῶν χρειῶν repone οἱ ἐπὶ τῶν χρειῶν *praefecti negotiis*; paullo aliter *Iudith* XII. 9. οἱ πρὸς ταῖς χρείαις. Paria dic de alio eiusdem Aristeae loco *pag.* XX. ubi post narratum τῶν O adventum, dicitur rex tanto desiderio conveniendi

viros flagrasse, ut ceteros omnes negotiis regiis praefectos abire iusserit, ἐκέλευσε τοὺς λοιποὺς πάντας ἀπολύσαι τοὺς ἐπὶ τῶν χρειῶν, atque Interpretes ad audientiam vocari, quod omnibus admirationi fuit. Praeterea nomen προστάται verti *defensores* scilicet causarum, vel *patrocinatores*; reddere etiam poteram *tutores*, *vindices*, *assertores causarum*, confer Budaeum *Comment. Ling. Gr.* p. 488. Genitivum τῆς πόλεως non pendere a nominativo προστάται contextus ipse evincit; si enim Aegypti praefectos Alexandriam commeantes indicare voluisset Aristeas, utique scripsisset τῶν πόλεων; contra singularis numerus τῆς πόλεως manifeste innuit Alexandriam, cuius horrea imminuta forent. Tandem χρηματισταὶ sunt iudices, quod colligere Hodius poterat ex contextu, qui de iudicibus, et sententia intra paucos dies ferenda agit. Ceterum quo tandem idoneo exemplo evincet Hodius τοὺς χρηματιστὰς fuisse *frumentarios*, *commeatusque curatores*? Quae quum ita sint, Aristeas non modo Chrematistas commemorat, sed etiam docet ideo institutos fuisse, ne agricolae ad principem urbem Alexandriam confluentes agriculturam desererent, atque horrea minuerent; quod intelligi nequit, nisi ponamus Chrematistas ius dixisse circumeuntes minores Epistrategiarum urbes. Iam qui secum recogitet Aegypti res agricultura crevisse, atque adeo Aegyptios summa semper religione coluisse cum Nilum, tum cetera quae cum soli fertilitate coniungebantur; Romanos maximi fecisse illam provinciam utpote frumentariam; nae ille causam ab Aristea allatam haud indignam iudicabit, quae Aegypti reges agriculturae bono consulentes impelleret ad Chrematistarum curiam creandam. Haud tamen putaverim, neque hanc unicam fuisse causam instituendi Chrematistas, neque, quod fere insinuat Aristeas, primum a Ptolemaeo Philadelpho creatos fuisse, nam aulicus homo multa solet suo heroi tribuere, quae a praecedentibus regibus sapienter sancita fuerant. Quid enim? Nonne aequum erat, ut, quum Alexandrini facile possent convenire regem, par potestas fieret Memphi, Thebis, atque ultimae Syeni? Ea praesertim aetate, qua reges religioni ducebant non alienis

auribus, sed suis, proprios audire subditos, et subditi ius sibi vindicabant adeundi reges de quacumque re? Si ergo Ptolemaei ipsi per se solebant χρηματίζεσθαι Alexandriae; alii videbantur designandi, qui nomine et iure omnino regio deberent ceteris in urbibus χρηματίζεσθαι, unde χρηματισταὶ dicti. Atqui eiusmodi causae tum agriculturae, tum aequitatis in cives universos, non tantum Lagidarum, sed etiam Pharaonum temporibus vigebant. Quamobrem conicio magistratum haud absimilem vetustis temporibus extitisse, quem a Persis fortasse abolitum, utpotequi regis vices gerebat, instaurarunt Ptolemaei. Quidquid vero de eius antiquitate sentiendum sit, qua de re nollem causam dicere, iuvat simile exemplum afferre ex medio aevo. Principes, qui meliorem Europae partem barbaricis saeculis moderabantur, haud satis habuerunt constituisse Comites Palatii, Duces, Marchiones, ceterosque, qui ius dicerent; sed alios extra ordinem iudices creare solebant, qui maxima cum auctoritate provincias omnes peragrarent, viderentque ne cives ab ordinariis iudicibus suo iure fraudarentur, vel aliquid detrimenti caperent, tum emendarent quidquid vel severitate vel indulgentia iudicum peccatum fuerat. Nomen ipsis fecerat Karolus Magnus *Missorum Regiorum*, vel *Discurrentium*; dicebantur etiam *Regii*, aut *Dominici Legati*, de iis lege Muratorium *Dissertazioni sopra le Antichità Italiane. Dissert.* IX. Maxime mihi hi missi congruere videntur cum Chrematistis Aegyptiorum, si tamen excipias discrimen, quod a varia nationum et saeculorum sapientia repetendum est, ut uni Misso complures provinciae iudicandae demandarentur, contra Aegyptii Senatui ex compluribus viris conflato dirimendas committerent Epistrategiae lites. Fuerunt etiam apud Athenienses οἱ Τεσσαράκοντα *Quadragintaviri*, qui Demos obeuntes ius dicerent; sed ea tantum, quae ad decem drachmarum summam accedebant, diiudicabant, si hanc excessissent, ad arbitros deferebant, vide Pollucis *Onomasticum lib.* VIII. n.° 100. et Demosthenem πρὸς Πανταιν. p. 976. *ed. Reiske*.

Superest, ut de modo offerendi libellos dicam. Statim ac Chre-

matistae urbem aliquam ingressi fuerant, vas ἀγγεῖον proponebant; qui vellet libellum in adversarios dare, hunc in vas iniiciebat. Ut primum Papyrum IV. oculis usurpavi, equidem legi atque exscripsi ἀγγεῖον, postea nomen remque miratus inauditam cudens vocem emendabam αἰτεῖον *tribunal* ab αἰτία *causa;* sed iterum et ter idem nomen mihi se se obtulit in Papyro I, ac licet praeiudicata opinione legere vellem αἰτεῖον, litterarum tamen ductus mihi vel repugnanti semper offerebant ἀγγεῖον. Hanc ergo lectionem amplexus sum, quae ceteroquin optime cohaeret cum universo contextu; nam petitor dicitur ἐμβάλλειν ἔντευξιν εἰς ἀγγεῖον *iniicere, demittere libellum in vas*, vas ipsum est προτεθὲν, vel προκείμενον *propositum*, omnibus *expositum*, quae omnia facile vasi, numquam tribunali accommodantur. Sed quorsum vas? Athenis litigantes causam primum dicebant apud διαιτητὰς *arbitros*; si eorum iudicio acquievissent, lis dirimebatur, sin minus, libelli, acta, ceteraque instrumenta litis iniiciebantur in vas (ἐμβαλλεῖν εἰς ἐχῖνον) quod obsignatum deferebatur ad iudices maiores, vide Suidam, et Harpocrationem ad v. Ἐχῖνος, Bekkerum *Anecd. Graec.* p. 258. Demosthenem p. 1104. 1107. 1180. 1265. *ed. R.* Probe video, quo lex spectaret. Scilicet ne alterutra pars, vel arbiter, quidpiam subtraheret, adderet, aut immutaret in actis, atque iudices, ad quos provocatum erat, integris instrumentis uterentur, omnia coniiciebantur in vas, quod statim obsignabatur. Atqui in vas a Chrematistis expositum unus petitoris libellus iniiciebatur, neque erat cur iste Εἰσαγωγεῖ audientiam facienti libellum offerens fraudem metueret et praecaveret. Si enim facilis fraudi locus esse poterat, aut ex gratia, metu, vel simultate aliqua scripti corruptio timebatur, cur libelli ceteris iudicibus oblati itidem in vas non coniiciebantur? Nuspiam vero vidi Praefectum vel Agoranomum vas proposuisse, sed libelli ipsis simpliciter dabantur, sic Hermias Demetrio Epistratego ἐπέδωκε ὑπόμνημα p. 1. lin. 17, et Hermiae Stratego item ἐπέδωκε ὑπόμνημα pag. 3 lin. 3, quod p. 1. lin. 11. dicitur τὸ ἐπιδοθὲν ὑπόμνημα. Haec igitur consuetudo non libellorum gratia inducta fuit, sed alias ob

causas. Multae excogitari possunt: in his, ut in causis appellationis instrumenta litis in Chrematistarum manus sine fraude pervenirent, quod suo ἐχίνῳ paullo supra cautum vidimus ab Atheniensibus; ut omnibus facilis daretur et clandestina copia accusandi iudices et Nomi administratores, quin accusator se nomenque suum publice profiteretur, quod vasis genus nostra aetate amant Officia, ut aiunt, Politiae. Sed probe video me litem lite resolvere; nullo enim monumento constat Chrematistas supremam fuisse appellationis curiam, aut censuram exercuisse in concussiones iudicum vel eorum qui Nomum administrarent. Quare, praetermissis coniecturis, contentus ero definiisse: Chrematistas fuisse iudices, qui uni Epistrategiae ius dicebant, eamque adeo, duce ordinis principe εἰσαγωγεῖ dicto, peragrabant; de causis gravissimis cognovisse vel in primo citationis gradu; urbem aliquam ingressos proposuisse vas, in quod suos libellos petitores coniicerent.

Lin. 5. Εντευξιν) Ἐντυγχάνειν vi sui etymi notat *offendere aliquem*, hinc *adire aliquem*. Quod si Rex, magistratus, aut Deus ipse adeundus sit, ἔντευξις est ipsa *petitio* seu voce significata, seu in scripto libello expressa, quam supplex subditus offert; haec cum varia esse possit, vel accusans, vel deprecans, pro vario contextu ἔντευξις est *accusatio*, *intercessio*, et his similia. Vocem Alexandrini potissimum usurpant ad designandas petitiones vel Regi, vel iis, qui regis nomine rempublicam moderantur, exhibitas. In Aristea (1) sciscitanti Regi πῶς ἀναμάρτητος εἴη; Interpres XLIVus respondit αὐτὸς ὢν δοκιμαστὴς τῶν λεγομένων, καὶ κρίσει κατευθύνων τὰ τῶν ἐντεύξεων εἶ, *o Rex, omnia ipse diligenter pensaveris, quae dicuntur, et iudicio dirigas quae in petitionibus exponuntur*. II. *Macchab.* IV. 8. Iason satagebat sibi conferri summum sacerdotium a rege Antiocho ἐπαγγειλάμενος τῷ βασιλεῖ δι' ἐντεύξεως ἀργυρίου τάλαντα ἑξήκοντα *in petitione regi oblata ipsi promittens sexaginta argenti talenta*; hinc ἐντυγχάνειν I. *Macch.* VIII. 32. X. 61. est *adire regem* eique preces

(1) Epistola ad Philocratem p. XXVIII.

deferre. Athanasius ipse Episcopus Alexandrinus plus semel usurpat vocem ἐντυχία ad *petitionem adversus aliquem*, seu *accusationem*, notandam (1). Apud scriptores Novi Testamenti ἔντευξις sunt *preces*, *quae pro aliis ad Deum funduntur*, *deprecationes ad mala ab aliis avertenda*, itemque *preces omnis generis*, et *gratiarum actio* (2). At in Papyris vox ἔντευξις pristinam tuetur significationem *aditionis*, et libelli; praeter hunc locum vide infra p. 3, lin. 24. 5, 26. 6, 7. 33. 35, et Papyr. II. lin. 25. IV. lin. 10. 17. et Pap. III. lin. 4. a fine. Schweighauserus in *Lexico Polybiano* ad v. ἔντευξις eam interpretatur *congressus*, *colloquium*, *audientia*, non recte; licet enim nulla esse possit ἔντευξις supplicantis, quin sit Rex audientiam faciens, tamen vel in Polybii locis vox primam potestatem retinet *aditionis*, *supplicis deprecationis*. Rex audientiam populo faciens χρηματίζεται, populus preces deferens ἐντυγχάνει.

Lin. 15. Των ανθρωπων) Dubitari posset, utrum Hermias ex ducibus praesidii Ombitis innuere hic velit, se, quum hostes pugnam eo usque detrectavissent, coactum fuisse quantocius stationem repetere; nam phrasis ἔρχεσθαι εἰς τὰς χεῖρας militiam sapit. Sed vox ἀνθρώπων hostibus non facile accommodatur; praeterea praesidium illud perpetuum erat, quia perpetuis incursionibus Aethiopes et Arabes Nomum Ombitem petebant, quare etsi ad manus venissent, non ideo praesidium dissolvebatur et ducibus fas fuisset proprios lares repetere. Quare inclinat animus ut credam ἀνθρώπους esse Cholchytas, tum phrasim ἔρχεσθαι εἰς τὰς χεῖρας metaphorice designare iudiciariam pugnam.

Lin. 18. Διαλειπουσιν) De verbo διαλείπω sequente participio confer Wetstenium ad Lucam VII. 45. Tum Longinus *de Subl.* XXXVIII. 5 ὡς οὐ διαλείπω λέγων *ut saepe iam dixi*.

Lin. 19. Απηρεισμενοι) Απερείδω *depono* vide etiam infra p. 3. lin. 13.

---

(1) Vide Montfaucon in *Onomasticon* ad calcem Opp. D. Athanasii v. ἐντυχία.

(2) Vide Schleusner Novum Lexicon Graeco-Latinum in Novum Testamentum ad v. Lege etiam Valesii notam (d) ad Eusebii Hist. Eccles. lib. IV. cap. XII, et ad Theodoriti Hist. Eccles. lib. I. cap. IV. nota (g).

Sic Polybius III. 92. 9. *βουλόμενος μὴ καταφθεῖραι τὴν λείαν, ἀλλ' εἰς τοιοῦτον ἀπερείσασθαι τόπον, ἐν ᾧ καὶ τὴν παραχειμασίαν δυνήσεται ποιήσασθαι cupiens praedam captam non perdere, sed eo in loco deponere, in quo etiam hibernare posset.* Callimachus *H. in Del.* 120. *ὠμοτόκους ὠδῖνας ἀπηρείσαντο λέαιναι saevos foetus deposuere leaenae.* Daniel ex versione LXX. Interpretum I. 2. *καὶ ἀπηρείσατο αὐτὰ (τὰ σκεύη) ἐν τῷ εἰδωλείῳ αὐτοῦ et collocavit illa vasa in templo idoli sui;* vide quae Carolus Segaar ad h. l. adnotavit in suo *Daniel secundum LXX. ex Tetraplis Origenis.*

Lin. 21. Του δρομου) Minus accurate haec dicta sunt; nam supra pag. 1. lin. 28. duos δρόμους commemoraverat. Unus etiam δρόμος occurrit in Papyro II. lin. 23. *απο βορρα του δρομου της μεγιστης θεάς Ηρας του αγοντος επι ποταμον, ης τοιχοι κ. τ. λ.*

Lin. 22. Αθεμιτα) Multa veterum testimonia congerere possem demonstraturus, non tantum Aegyptios, sed universos populos immundum existimasse cadaver, simulque eos, qui cadaver tetigerint, sed quum haec notissima sint idque de Aegyptiis praesertim tradat Porphyrius *de Abstinentia* lib. II. p. 215. *edit. Lugd.* 1620. abstineo a vulgari, atque inutili testimoniorum congerie. Lectores tantum monebo, Hermiam callide confudisse Cholchytas cum Taricheutis; isti impuri, illi puri habebantur.

Lin. 23. Καιπερ Αινεου) De his dicam inferius ad p. 4. lin. 22, ubi eadem rectius narrantur.

Lin. 26. Βασιλικος ιατρος) Herodotus lib. II. 84. memoriae prodidit, medicinam apud Aegyptios hunc in modum fuisse distributam, ut singulorum morborum fuerint medici, non plurium, quare omnia referta esse medicis (*πάντα δ' ἰητρῶν ἐστὶ πλέα*). Alii enim sunt oculorum, alii capitis, alii dentium, alvi alii, alii morborum occultorum medici. Iam ex hoc loco discimus Regium Medicum Strategis per epistolas significasse regia iussa, atque adeo non tantum regis valetudinem curasse, sed etiam inter regni administros, vel saltem inter eos qui essent ab epistolis, fuisse recensitum. Aristeas etiam *in Epistola ad Philocratem* narrat Nicanorem *ἀρχίητρον medicorum*

principem accersivisse Dorotheum, eique iussisse apparare omnia, quae LXX. senibus hospitio excipiendis necessaria forent. Ergo Nicanor Archiiater erat etiam Regiae Aulae Praefectus, quem dicimus *gran Ciambellano*, aut potius *gran Mastro della casa*. Hinc non levis honor accedit ceteris Medicorum fastis.

Lin. 29. Και δια των) Hucusque Hermias narravit quae exposuerat in libello oblato Demetrio anno LIII, vide p. 1. lin. 16. Iam prosequitur exponere cetera a se subinde facta, atque Hermiam Strategum alloquitur. Incertum est, utrum τῶν generis sit masculini, an neutrius. Si primum, *οἱ παρὰ Δημητρίου* sunt *Nuntii*, *Legati*, seu *Ministri*, et *Officiales* Epistrategi; de phrasi *οἱ παρά τινός* vide Schleusnerum *Lexicon Novi Test.* ad v. *παρά*, et Biel *Novus Thesaur. Philolog.* ad v. *παρά*. Si alterum *τὰ παρὰ Δημητρίου*, subintellige *σημαινόμενα*, sunt *epistolae*, *mandata* Demetrii.

Lin. 30. Εκτοπισαντες) Verbum ἐκτοπίζω transitive usurpari solet, II. *Macch.* 8. 13. ἐξετόπιζον ἑαυτούς, *Polyb.* I. 74. 7. ἐκτοπίζοντες αὑτοὺς (ita lege pro αὐτούς). At in Plutarcho X. 15. 12. *ed. Reisk.* intransitive legitur *αἱ λύγγες ἐκτοπίζουσι*. Quum verbum vi sui etymi notet *ex uno loco in alium secedere* etiam *se occultandi gratia* (vide *Plutarch.* X. 47. *antep. ed. Reisk.*), Hermias innuere vult, quod commentitium esse credo, Cholchytas occupatam domum dereliquisse, iterumque Memnonia repetiisse.

Lin. 32. Χρηματισθησοιτο) De vocis potestate dixi superius ad lin. 5.

Lin. 33. Φαμενωθ) Certe eiusdem anni LIII. Hermias, qui profecto in urbe Diospolis erat, scribit *ο (υπομνημα) και αποσταλεν απεδωκα εν Λατωνπολει*: mox p. seq. lin. 3. quum Thebis adhuc esset, ait *επιδοντος (μου) σοι το προκειμενον υπομνημα*. Quare hoc discrimen inter *ἀποδίδωμι*, et *ἐπιδίδωμι* interest, quod illud dicitur de eo qui libellum *per alios reddit*, seu *reddere curat*, istud de eo, qui ipse propria manu *reddit*, ac *praesens offert*. Ceterum Libellum Latonpolim miserat, quia Chrematistae tunc eo venerant iudicium exercituri.

Lin. 34. Εξαποστειλαι) Scilicet ut Ptolemaeus Praefectus Peri-

Thebarum Cholchytas a Thebis mitteret Latonpolim; quod verbum ἐξαποστέλλω ita ad vivum resecandum non est, ut credamus Cholchytas revera debuisse se Latonpolim conferre; poterant etiam per procuratorem indicto vadimonio occurrere. Sic ipsa haec causa anno LIV. Thebis perorata est, quin Hermias, uti mihi quidem videtur, Thebis esset.

Ad Paginam 3.

Lin. 2. Διαβασιν) Ex iis, quae dixi ad p. 1. lin. 21, liquet duas saltem fuisse annuas *διαβάσεις*, in quibus sacra Ammonis arca flumen traiiciebat, unde pompae nomen fuit *διαβάσεως traiectus*. Vel enim Ammon ad Memnonia deferebatur quasi mortuos visitaturus; vel ad partem libycam sui cum Iunone congressus memoriam renovaturus. Coniicio postremam hanc sollemniorem fuisse, eique interfuisse principes Nomi Magistratus, atque adeo hanc innui a Papyro.

Lin. 6. Αναπλουν) Ut intelligamus fluviatili itinere ad militarem stationem remeasse. Praepositio *ἀνὰ* utraque potestate gaudet tum *iterum navigavi*, tum *sursum navigavi*, haec enim loca *οἱ ἄνω τόποι* dicuntur infra pag. 5. lin. 28. ac revera ad superiorem Aegyptum pertinent. Ait ergo Hermias, se post mensem Payni anni LIII, cogente necessitate militaris officii, iterum stationem Ombiticam petiisse una cum Hermia Stratego suo. Quae quum ita sint, libellus iste datus fuit ab Hermia dum in statione Ombitica esset, atque oblatus Stratego, qui itidem Ombosi versabatur; Strategus vero libellum Thebas misit ad Heraclidem non sine epistola, qua ei negotium militis commendaret.

Lin. 8. Εαν φαινηται) In Obelisco Philarum lin. 13. item legitur *δεόμεθ' ὑμῶν Θεῶν μεγίστων, ἐὰν φαίνηται, συντάξαι*, quem locum illustrans Letronnius (1) suspicatus est desiderari *ὑμῖν vobis*, addit tamen pronomen non ita necessarium esse, ut abesse nequeat.

(1) Recherches p. 319.

Revera pronomen hic etiam desideratur, tum in Papyro II. lin. 40. διο αξιω, εαν φαινηται, συνταξαι, et in Papyris V. VI. VII. αξιουμεν, εαν φαινηται, συνταξαι. Est ergo sollemnis elliptica phrasis libellorum supplicum a consuetudine forensi recepta.

Lin. 10. Ευθυνομενους) Quamvis οἱ εὐθυνόμενοι proprie dicantur magistratus, a quibus officio functis ratio reposcitur administrati honoris, tamen generatim hic veniunt *rei*, a quibus reatus ratio exposcitur, vide Budaeum *Comment. Ling. Gr.* p. 7.

Lin. 13. Εξαποσταλωσι) Ergo Praefectus de iure cognoscebat simulque sententiam ferebat; Strategus vero mulctas a legibus impositas exposcebat ab iis, qui causa ceciderant.

Lin. 15. Τουτου δε γενομενου κ. τ. λ.) Consueta phrasis, qua supplices libelli clauduntur, vide Papyrum III. lin. extr. Ei affines sunt illae Papyrorum V. VI. VII, tum Obelisci Philarum.

Lin. 17. Ηρακλειδει) Haec linea in autographo libello certe alia manu sive Hermiae, sive unius ex eius ministris, scripta erat. Hermias enim, lecto libello sibi oblato, haec scripsit, aut scribenda iussit, libellum remissurus ad Heraclidem, qui de causa cognosceret; vide par exemplum in Papyris VI. et VII.

Lin. 18. Δικαιολογηθεντων) Iudice Budaeo *Comment. ling. Gr.* p. 48. δικαιολογεῖσθαι est iura sua allegare et in iure disceptare, quod *causificari* Plautus dixit, et Cicero *causari* et *proferre.* Heraclides posteaquam causa sibi fuerat delata, diem dixit litigantibus; isti patronos adhibuerunt Hermias Philoclem, Horus Dinonem. Patroni causam non scriptis, sed voce perorabant, quod colligitur ex verbo δικαιολογηθέντων *quum iura voce protulissent*, tum ex pag. 4. lin. 35. μεταλαβων τον λογον ο . . . Δεινων *post Philoclem sermonem instituens Dinon.* Causa ab utroque patrono perorata (hoc enim innuit praeteritum tempus verbi δικαιολογηθέντων), Heraclides breviter perstringit rationum momenta ab utroque allata incipiens a verbis lin. 21 και του μεν Φιλοκλεους usque ad p. 9. lin. 3; suo enim nomine scriptam esse hanc relationem cum multa alia declarant, tum imprimis verba p. 7. lin. 34. επι Πτολεμαιου του προ του προ ημων Επιστατου

sub Ptolemaeo Praefecto praedecessore nostro. Relatione peracta coram Praefecturae iudicibus, seu τοῖς Συμπαροῦσι, Heraclides pergit sententiae iam ferendae momenta declarare p. 9. lin. 4. sq. tandem sententiam ipsam profert p. 10. Coniicio iudices in suffragia missos esse; secus enim, curnam adhibiti fuissent? Cum his, quae indubie colliguntur ex Papyro, conferamus quae Diodorus Siculus lib. I. n.° 75. memoriae prodidit de foro Aegyptio. Ait actorem singillatim scripto exhibuisse et crimen, et facti modum, et damni illati aestimationem (quae de libello supplici intelligenda videntur); reum contra, post acceptum ab adversario criminationis libellum, ad singula scripto respondisse, se, exempli gratia, vel non fecisse, vel faciendo non deliquisse, vel delinquendo minorem poenam commeruisse; tum petitorem scripto replicasse, cui iterum reus respondebat; posteaquam litigantes ad hunc modum duos libellos exhibuissent, tandem sententiam inter se dixisse iudices. Nisi haec a Diodoro dicta intelligantur de aetate Ptolemaeis superiore, falsa esse de temporibus Lagidarum arguit Papyrus Taurinensis. Pergit Diodorus narrare ab Aegyptiis eloquentiam omnem improbatam fuisse, quippequae caliginis multum iuri offundit, quum oratorum artes, actionis praestigiae, et periclitantium lacrimae multos adducant, ut legum rigorem et veritatis normam posthabeant. Haec probabilia facit austera illa Aegyptiorum severitas facile in universis ipsorum cum sacris, tum civilibus, ordinibus conspicua, quamque imitati sunt Lacedaemones et Areopagiticus Senatus eloquentiam item ablegantes ab orationibus. Sed probabiliora reddit Aegyptiae linguae indoles, quam saepe mihi consideranti semper visum est, eam a mathematicis viris creatam, ac sartam servatam fuisse. Omnia nuda simplicitate nitent, nihil addi nihilque detrahi potest; ad analogiam ita universa exiguntur, ut nullae sint anomaliae, nisi quae fortasse a sequiore aetate inductae fuerunt. Vocum compositio vix aliquam crasin aut aphaeresin patitur, ne origines obscurentur. Primitivae radices unica constant syllaba; si quae ex duabus coalescunt, affirmari potest earum primigenia themata vel antiquata

fuisse vel nondum detecta. Radicum significationes paucae, et inter se connexae; iam qui mente recolat Arabicarum radicum potestates propemodum infinitas, et varias, immo dissitas sibique adversantes, nae ille affirmabit, quemadmodum effrenis imaginatio multa turbavit in Arabica lingua, ita severissimam rationem omnia rexisse in Aegyptia. Formae nominum effinguntur ope particularum, quae radicibus additae ipsas semper pari modo temperant. Syntaxis sequitur ordinem idearum. Iam quî tandem censebimus eiusmodi linguam potuisse ad complura saecula geometricas suas rationes intemeratas servare, si eloquentiam vel poësim fuisset experta? Quum enim hae artes viribus imaginationis plurimum valeant, atque haec indocilis sit severum ordinem pati, turbassent profecto primaevam Aegyptiae linguae simplicitatem. Eloquentiam ab Aegyptiis repudiatam fuisse tradit Diodorus l. l.; idem de poësi diserte affirmat Sacerdos apud Dionem. Orat. XI. p. 162. D. inquiens *apud Aegyptios non licere quidquam versu efferre, neque universe ullam esse poësim.* Atque haec de Aegyptiis temporibus. At Lagidarum aetate existimabimus ne eloquentiam fuisse excultam, in eaque Alexandrinos inclaruisse? Dicam quae mihi maxime probabilia videntur. Eloquentia vel cum rebus publicis privatisque agendis coniungitur, ita ut eius usus ad vitam pertineat, vel a negotiorum administratione ad umbratilem declamationem, otium, ac delectamentum avocatur. Primum eloquentiae genus profiteri nequiverunt Alexandrini; constat enim Lagidas rempublicam maluisse militari imperio regere, quam oratoribus in varias sententias disputantibus permittere. Neque etiam erat cur laudem eloquentiae antea in foro ignotae affectarent causarum patroni; nam sententia a iudicibus ferenda, uti evincit Papyrus noster, potissimum pendebat ab historica et vere forensi relatione Praefecti iudicibus annumerantis argumenta ab utraque parte prolata. Superest ergo, ut eloquentia ab omni reipublicae causarumque tractatione exclusa intra fines se receperit umbratilium declamationum; quod alterum eloquentiae genus ad aurium delectationem institutum Lagidae ita probarunt, ut etiam exstimularent

propositis praemiis, Musaei convictu, opulentia bibliothecae, et certaminibus institutis. Scilicet Lagidae quo magis veram eloquentiam, quae in rostris ac concionibus dominatur, periculosam dubitarunt si admitteretur in regno ex multis gentibus religione, moribus, educatione dissimilibus coalescente; eo conducibilius politicis suis rationibus existimarunt alterum illudque sophisticum eloquentiae genus. Nam animi Alexandrinorum, quos rectissime coloniam militarem dixeris, erant humanitate litterarum emolliendi; tum Aegyptii a veteribus institutis non bene cum novitia dynastia cohaerentibus erant per novas scientias, inauditasque doctrinas, blande traducendi ad nova studia. Quare eloquentia eatenus a Ptolemaeis probata et excitata fuit, quatenus mores ad humanitatem efformaret, et vetusta instituta antiquaret. Hinc elegantes prodierunt oratores, venusti, amoeni, at nihil generosum, nihil celsum et audax, quod tractaret animos, voluntatem impelleret, illa aetas tulit; non praepotentibus fluminibus comparaveris illam eloquentiam, sed limpidis rivulis per amoena prata decurrentibus. Quod adeo verum est, ut princeps Alexandrinorum oratorum Demetrius Phalereus a Cicerone optimo iudice habitus sit orator *remissior et mollior non tam armis institutus quam palaestra . . . primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit, et suavis, sicut fuit, videri maluit quam gravis, sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret* (1).

Lin. 21. Δικαιωματων) Δικαίωμα *causae defensio et praesidium*, vide II. *Sam.* XIX. 28. *Ierem.* XI. 20. XX. 12. Hinc *documenta*, *instrumenta*, quae sunt praesidia causae, sic etiam infra lin. 23, et 5, 25. lege etiam Budaeum *Comment. Ling. Gr.* p. 49.

Lin. 32. Κρατησεως) Κράτησις est possessio facti, κυριεῖα est dominium, ius, quod a possessione disiunctum esse potest. Altera ab altera distinguitur infra p. 5. lin. 36. μηδεμιας κρατησεως, μηδε κυριειας τινος εγγαιου περιγινομενης αυτωι.

---

(1) Cicer. Brut. de Orat. II. 23. Or. 27. Off. I. 1.

Lin. 33. Αναφοραν) Praetermitto iuridicas significationes vocis ἀναφορὰ in optimis lexicis obvias, atque aio ἀναφορὰν vi sui etymi hic notare *relationem*, qua quis scripto fidem facit de aliqua re, quam refert, tum pro vario contextu etiam esse *testimonium litteris consignatum*, quod dicimus *attestato*, *dichiarazione*. Verbum ἀναφέρεσθαι paria significat. Sic in hac ipsa pag. lin. 28. την Λοβαιν συναvενηνοχεναι αυτωι συνχωρησιν *Lobai gli diede un attestato di consenso*, quod supra p. 2. lin. 11. hisce verbis expresserat συνεισεδωκε μοι συνχωρησιν. Similiter pag. 4. lin. 9. τον Απολλωνιον συναvενηνοχεναι αυτωι συνχωρησιν *Apollonius lui delivra un certificat de consentement*. Porro hic ἀναφορὰ τοῦ βασιλικοῦ γραμματέως est *testimonium*, seu *attestato*, *dichiarazione* (Gallice *certificat*), quo Regius Scriba profitebatur cubitos controversos inscribi in tabulis publicis Hermoni Hermiae filio. At infra p. 4. lin. 6 et 7. primitivam tuetur significationem *relationis* utique scriptis consignatae, qua testimonium de aliqua re dicitur. Haec scripseram, quum a Valesio in notis ad Evagrii Scholastici Historiam lib. I. cap. VII. ita hanc vocem illustratam vidi: *Solebant olim Praesides Provinciarum de omnibus, quae apud ipsos acciderant, referre ad Imperatorem; quod* ἀναφέρειν *dicebatur*, *et relatio* ἀναφορά, *ut notavi ad Ammianium Marcellinum*; tum vir doctissimus aliis adductis locis vocabulum illustrat. Vide etiam Appianum Alex. I. 152. 69. II. 334. 27, 432. 42. *ed. Schweigh.*

Ibid. Βασιλικου γραμματεως) Tum infra nominantur Τοπογραμματευς, et Κωμογραμματευς, de quibus omnibus simul dicendum est. Quum quaestio agitaretur, cui nam adiudicandus esset γη σιτοφορος *frugiferus fundus*, Τοπογραμματευς *Loci-Scriba*, et Κωμογραμματευς *Oppidi-Scriba*, retulerunt ad Βασιλικον Γραμματεα *Scribam Regium*, fundum illum inscribi Hermoni. Tum Scriba Regius haec retulit ad Chrematistas, qui de vero fundi domino cognoscere debebant. Hinc patet τοὺς Τοπογραμματεῖς, et Κωμογραμματεῖς respondere nostris *Catastarii*, scilicet servasse publicas tabulas, in quibus fundi regionis ita describebantur, ut eorum mensurae

et domini adnotarentur; horum vero, utpote inferiorum Scribarum, testimonia fidem in iudicio facere haud potuisse, nisi a Scriba Regio fuissent recognita. De Nomorum divisione ita *Strabo* XVII. p. 2136. Οἱ νομοὶ τομὰς ἄλλας ἔσχον. εἰς γὰρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄρηντο, καὶ αὗται δ' εἰς ἄλλας τομὰς, ἐλάχισται δ' αἱ ἄρουραι μερίδες, *Nomi in alias sectiones tributi sunt; plerique enim in Toparchias divisi fuerunt, tum istae in alias portiones, quarum minimae sunt arva.* Rectam Nomorum divisionem ignoravit Strabo; nam, uti demonstrabo ad Papyr. VIII. Nomi tribuuntur in Κώμας *oppida*, hae porro in Τόπους *locos.* At probe vidit extremas divisiones esse minimas, tum causam subdens ait: ἐδέησε δὲ τῆς ἐπ' ἀκριβὲς καὶ κατὰ λεπτὸν διαιρέσεως διὰ τὰς συνεχεῖς τῶν ὅρων συγχύσεις, ἃς ὁ Νεῖλος ἀπεργάζεται κατὰ τὰς αὐξήσεις, ἀφαιρῶν, καὶ προστιθεὶς, καὶ ἐναλλάττων τὰ σχήματα, καὶ τἄλλα σημεῖα ἀποκρύπτων, οἷς διακρίνεται τό τε ἀλλότριον καὶ τὸ ἴδιον· ἀνάγκη δὴ ἀναμετρεῖσθαι πάλιν καὶ πάλιν, *Opus autem fuit tam diligenti ac subtili locorum divisione propter continuas finium confusiones, quas Nilus auctus efficiebat, aliis addens, aliis adimens, et immutans figuras, et signa obruens, quibus proprium discernebatur ab alieno; itaque identidem dimetiri oportebat.* De fundis a Nilo immutatis haec tradit *Herodotus* II. 109. εἰ δέ τινος τοῦ κλήρου ὁ ποταμός τι παρέλοιτο, ἐλθὼν ἂν πρὸς αὐτὸν (τὸν βασιλέα), ἐσήμαινε τὸ γεγενημένον· ὁ δὲ ἔπεμπε τοὺς ἐπισκεψομένους, καὶ ἀναμετρήσοντας ὅσῳ ἐλάσσων ὁ χῶρος γέγονε, ὅκως τοῦ λοιποῦ κατὰ λόγον τῆς τεταγμένης ἀποφορῆς τελέοι· δοκέει δέ μοι ἐνθεῦτεν γεωμετρίη εὑρεθεῖσα, *Quod si alicuius portionem alluvione flumen decurtasset, is adiens regem, rei quae contigerat certiorem faciebat; rexque ad praedium inspiciendum mittebat qui metirentur quanto minus factum esset, ut ex residua pro portione taxatum vectigal penderetur; atque hinc geometria orta mihi videtur.* Vide etiam Diodorum Siculum I. 81. Hinc nata necessitas tabularum publicarum, in quibus omnes fundi eorumque mensurae, et domini describerentur; hinc orti οἱ Τοπογραμματεῖς, et Κωμογραμματεῖς, qui tabulas servarent. Servabant illi (fortasse et conficiebant) tabulas locorum, qui

ipsorum curis fuerant commissi; ὁ Κωμογραμματεὺς generalem totius Κώμης *Oppidi* tabulam apud se habebat. Coniicio Βασιλικὸν Γραμματέα tabulas habuisse, in quibus universus Nomus describebatur, atque adeo in urbe Nomi Principe sedisse. Ex Papyro apparet hunc ita recognovisse relationem inferiorum Scribarum, ut ista nullam vim apud Magistratus habitura fuisset, nisi eam Scriba Regius probasset; censuram ergo exercebat in Scribas minores. Sed praenomen βασιλικὸς maiora mihi munera portendere videtur. Scilicet quum permulti essent per Aegyptum fundi Regii (tertiam Aegypti partem regibus tributam fuisse memoriae prodiderunt scriptores veteres) ac privati, causantes Nili alluviones, agrorumque transformationes, facile potuissent usurpare regia praedia, coniicio Βασιλικὸν Γραμματέα *Scribam Regium* constitutum fuisse, qui regia iura intemerata servaret; quod ut facilius praestare posset, eius approbatione sanciendum erat quidquid in causis privatorum scriptis testati fuissent Loci aut Oppidi Scribae. Ita enim consulebatur, tum ut regia auctoritas accederet testimoniis minorum Scribarum; tum ne improbitas, aut ignorantia privatorum vel inferiorum Scribarum in limitibus definiendis aliquid detrimenti afferret regiis fundis. Universi hi Scribae, Romanorum aetate, aliud etiam munus obibant, quo fortasse etiam fungebantur Ptolemaeorum aevo. Ita enim in Inscriptione Oasitica lin. 31. Οἱ μὲν βασιλικοὶ γραμματεῖς καὶ κωμογραμματεῖς, καὶ τοπογραμματεῖς κατὰ νομὸν πάντα ὅσα δαπανᾶται ἐκ τοῦ νομοῦ, εἴ τινα εἰσπέπρακται παραλόγως, ἢ ἄλλο τι, ἀναγραφέσθωσαν *Regii Scribae, Oppidorum Scribae, et Locorum Scribae quovis in Nomo referant in codicem quidquid Nomus erogat, tum si quid praeter ius exactum fuerit, aut alio modo.* Habebant ergo aliquem codicem expensi. Interea animadvertere iuvat hosce Scribas mutua semper censura munus suum obiisse, ut quidquid ὁ Τοπογραμματεὺς suum in codicem expensi retulerat erogatum a Τόπῳ, illud etiam describeretur in codicibus τοῦ Κωμογραμματέως, et τοῦ Βασιλικοῦ Γραμματέως. Quae quum ita sint, eiusmodi munera recensenda mihi videntur inter civilia, atque, ut aiunt, administrativa; nec

refragaverim si quis Loci-Scribas, et Oppidi-Scribas comparaverit cum nostris *Sindaci*, et Gallicis *Maires*. Saltem istos principem suo in Oppido tenuisse locum colligo ex Decreto Busiritanorum. Hi enim Neronis merita celebraturi ita decretum exordiuntur ἔδοξε τοῖς ἀπὸ κώμης Βουσίρεως . . . καὶ τοῖς ἐν αὐτῇ καταγεινομένοις Τοπογραμματεῦσι, καὶ Κωμογραμματεῦσι ψηφίσασθαι κ. τ. λ. *placuit incolis Oppidi Busiris, tum Loci-Scribis, qui in eo sunt, et Oppidi-Scribis decernere* etc., ut certissime constet in Oppido Busiris nullum fuisse publico munere insignitum, nisi Loci-Scribas, et Oppidi-Scribam; persuasum enim habeo pro eo quod est καὶ Κωμογραμματεῦσι scribi debuisse numero singulari καὶ τῷ Κωμογραμματεῖ *et Oppidi-Scribae*.

Ad Paginam 4.

Lin. 2. Γης σιτοφορου) Commemoratur hic γη σιτοφορος *terra frugifera*, in Inscriptione Rosettae lin. 15. et 30. legitur γη αμπελιτις *terra vinealis*, frequens est in Papyris ψιλοτοπος *nudus locus* atque incultus, hisce addantur πηχεις οικοπεδικοι *cubiti areae domus* p. 5. lin. 9. Quum Aegyptii pro varia soli qualitate varia penderent tributa, ita ut ex. gr. quaevis arura terrae vinealis penderet amphoram unam (vide Inscript. Rosettae loc. cit.), fundi in varias classes tribuendi erant, et singulae classes describendae in tabulis Scribarum (*Catasti*), de quibus dixi in superiore adnotatione. Hinc etiam in contractibus, et litibus qualitas fundi adnotabatur, quemadmodum hic loci.

Ibid. ᴗ κ) Dubio vacat hanc siglam notare πηχεῖς *cubitos*; atque illa erat, quam Scribae cubitorum numerum adnotaturi in tabulis usurpabant. Differt tamen ab ea, qua cubitus indicatur in Demoticis Papyris, atque adeo graecanica est sigla.

Lin. 9. Συνανενηνοχεναι αυτωι συνχωρησιν) Scilicet testans cubitos viginti non esse suos, atque adeo perperam a se venditos fuisse Armaio, quippe usurpatos; vide parem locum supra p. 3. lin. 28.

Lin. 13. Τα μη αναγεγραμμενα) Quum scripsi meum *Saggio di studi sopra Papiri* ita interpretabar haec verba *statuitur contractus*

omnes Aegyptia lingua non conscriptos nullius esse auctoritatis, reluctantibus ipsis graecis verbis. Posteaquam vero mihi innotuit Graphicum Registrum, (vide me infra ad pag. 6. lin. 2) in quo vox ἀναγραφὴ *perscriptio*, *relatio in acta*, *in registrum*, solemnis est, versionem mutavi. Existimo ergo Hermiam Horo obiecisse suas Aegyptias syngraphas graphico Registro carere; revera duae syngraphae editae a Young, de quibus infra dicam, desiderant eiusmodi Registrum. Quod probe sentiens Horus, numquam directe respondit, invocavit tantum decretum de indulgentiis.

Quamvis vero interpretationem mutaverim, tamen in pristina opinione persisto, qua credo, contractus vere Aegyptios sola Aegyptia lingua exaratos fuisse, nihilque ponderis habuisse, si Graece conscripti fuissent. Reenimvera Cholchytae, posteaquam produxissent syngraphas graeca lingua descriptas, monent has nihil esse, nisi *exemplaria instrumentorum Aegyptiorum graece redditorum* αντιγραφα συγγραφων Αιγυπτιων διηρμηνευμενων δ ελληνιστι p. 5. lin. 3; tum Heraclides sententiae a se ferendae rationes recensens p. 9. lin. 13. neque hoc adiunctum reticuit, Horum demonstrasse κατ Αιγυπτιας συγγραφας *Aegyptiis syngraphis* se domum emisse ab Eleci, aliisque. Quorsum haec, nisi vetitum fuisset Aegyptios contractus graeca lingua exarare? Sed fac licuisse, aio contractus fuisse hermaphroditos, ac turbasse duplicem legislationem Aegyptiam et Graecam, quae ceteroquin suis finibus distinguendae erant. Ergo ne omnia ad unum instrumenta aetate Ptolemaeorum confecta, erant Aegyptia? Inferius demonstrabo alienigenas, praesertim vero Graecos, qui cum Sotere in Aegyptum venerant, ac graeco more vivebant, potuisse coram Agoranomo instrumenta, pacta conventa, aliaque eius generis conficere, graecam linguam usurpantes, id quoque licuisse ceteris Aegyptiis, qui sacrorum Scribarum auctoritatem declinare vellent. Quae quum ita sint, quoties graecus contractus detegitur exaratus a Sacerdotum Scriba, certissime credere debemus, olim extitisse Demoticum eius archetypum; sic quum esset penes Eq. Grey Αντιγραφον Συνγραφης

Αιγυπτιας scriptum a Phabi Scriba Sacerdotum Amonrasonter, inventus est in Museo Parisiensi idem contractus Demoticus, quem lithographice exprimendum curavit Cl. Young in *Hieroglyphics*; sic quum Horus graecis contractibus litem suam instruxisset, iidem extabant, immo vero adhuc supersunt Aegyptie scripti, uti dicam inferius ad p. 5. lin. 4. sq. At quoties contractum aliquem invenimus auctoritate Graeci Agoranomi confectum, neque nobis cogitare licet de eius Demotico textu; ille enim graece tantum exarabatur. Ergo ne statuemus Aegyptiam linguam eam fuisse, qua Iudices, Magistratus, ceterique regni administri uterentur, uno verbo legitimam regni linguam? Minime sane. Nam praeter instrumenta apud Agoranomum confecta, habemus in Papyris I. II. III. V. VI. VII. VIII. XI. supplices libellos Magistratibus oblatos graeca lingua descriptos; ex Papyris I. p. 9. et 10. VI. IX. colligimus indices graecos graece tulisse sententias; ex Papyro I. constat patrocinatores graece perorasse clientum causas. Quare existimo graecam linguam usurpatam fuisse a graecis Magistratibus, quos Lagidae instituerant; Aegyptiam vero a priscis officialibus, quorum auctoritatem Lagidae sartam servaverant. Fortasse etiam Ptolemaei, ut utrique subditorum ordini facerent satis, edicta sua promulgabant Aegyptiae simul et graece conscripta; quare vicissim Sacerdotes decretum aliquod in Stele insculpturi triplici scriptura utebantur, hieroglyphica, qua res sacras tractabant, Demotica, qua se Aegyptie plebi accommodabant, Graeca alienigenarum gratia, quod constat ex Inscript. Rosettae, et ex Stele Taurinensi, quam brevi me editurum spero.

Lin. 17. Του της χωρας νομου) Χῶρα est *regio*, quo nomine Aegyptus omnis intelligendus hic venit, unde etiam τὰ ἐγχώρια γράμματα (*Inscript. Roset. lin. extr.*) *patriae*, seu *Aegyptiae litterae*, quas Demoticas Champollionius appellavit. Iam vero *Patria*, seu *Aegyptia Lex* illa dicebatur, quae ante Ptolemaeorum tempora sancita, Aegyptios Reges habuerat conditores, sicque a recentioribus Lagidarum statutis discernebatur, quae προστάγματα appellantur supra lin. 13.

Lin. 18. Εστυριωμενην) Omnia vocis elementa certissima sunt, tum scrupulum, si quod esset, eximeret derivatum στυριωσεως, quod legitur infra p. 7. lin. 2. Contextus innuit στυριῶσιν fuisse solemnem formulam a contractus substantia discretam, quam in syngraphis adhibendam esse Lex Patria iubebat, secus syngrapha fuisset ψευδὴς *mendax*, et illegitima, neque ullius auctoritatis in foro. Sed verbum στυριόω inauditum est universae seu antiquae seu mediae Graecitati, neque ex Lexicis Hesychii, Suidae, aliisve graecae antiquitatis monumentis illustrari ulla ratione potest. Superest ergo, ut sit vox Aegyptia deprompta ex ipsis verbis Patriae Legis utique Aegyptie scriptae, quam a iurisprudentia Aegyptia consecratam, et ab Aegyptiis tabellionibus passim adhibitam, Graeci ad propriae linguae ingenium ita detorserunt, ut στυριόω effinxerint. Iam quum persuasum habeam στυριῶσιν ad formularum genus pertinere, monebo in primis neque Protocollum, neque Registrum hoc nomine venire; si enim ita esset, facile Horus p. 7. lin. 1. et sq. respondisset hoc saltem nomine culpandas non esse suas Syngraphas, quippequae hisce formulis non carebant, nam duo ex contractibus, quos Hermias hic carpit, servantur in Museo Eq. Grey, atque insigne ostentant Protocollum, et Registrum Graecum. Est ergo de alia formula cogitandum. Iam vero perpendenti mihi verbum στυριόω ab Aegyptia lingua arcessendum esse, visum est illud conferre cum ϣτωρι *fideiussor*, *sponsor*, unde ερϣτωρι *fideiubere*, *spondere*; hinc στυριόω esset *fideiubere*, *spondere*, et συγγραφὴ ἐστυριωμένη *syngrapha fideiussione*, *vel sponsione confirmata*, tandem στυριῶσις *fideiussio*, *sponsio*. Quid Aegyptii solerent in syngraphis spondere docent extrema verba contractus, quem sistit Papyrus Anastasy; ita enim habet linea extrema: προπωληται και βεβαιωται των κατ ωνην ταυτην οι αποδομενοι, ενεδεξατο Νεχουτης ο πριαμενος *huius emptionis mediatores* (vel *priores venditores*, vide Budaeum *Comm. L. Gr.* p. 746) *ac sponsores fuerunt ipsi venditores, eosque (uti idoneos) probavit Nechutes emptor*. Spondebant ergo evictionem. Sed quid causae fuit, cur tabellio diligentissime adnotaret, venditores fuisse etiam

sponsores contractus? Nonne ex ipsa contractus natura sequitur, venditorem debere praestare evictionem, atque indemnem servare emptorem? Aliquid certe hic latet, quod ad iurisprudentiae Aegyptiae consuetudinem pertinet. Rem ita illustro. Ex Aegyptiis legibus venditor non solum de evictione cavere debebat vel nuda sponsione, vel satisdatione, sed etiam cautio, quaecumque illa fuisset, declaranda erat in syngrapha. De satisdatione, et fideiussione res per se patet; neque enim ista ex contractus indole necessario colligitur, sed nova est stipulatio contractui addita. At nudam sponsionem, qua venditor promittit se evictionem praestaturum, aperte enunciandam esse in tabulis contractus, supervacanea formula videri potest. Hanc tamen vel nostra patrumque aetate tabelliones omnes per Europam declarare solent in syngraphis; multo vero magis declarabant Romani. Hi enim praeterea duplam stipulare solebant evictionis nomine, ut vocabula *evictionis*, et *duplae stipulationis* semper coniungerentur, lege titulum Digesti *de evictionibus, et duplae stipulatione*, atque adeo hanc fere formulam usurpabant: *mihi heredique meo eum hominem, quem de te emi, habere recte licere, nec evinci eum hominem mihi heredive meo, partemve eius, et si is homo a me heredeve meo petatur, tamen de ea re agenda adesse, et eam rem recte defendere, ut denunciatum tibi erit, aut si ita factum non erit, quanti ea res erit, duplum praestari, dolumque malum abesse*, (vide interpretes ad h. tit. Digesti) De Graecis legibus paria testatur Aeschines *in Ctesiph.* pag. 89. inquiens ὥσπερ τὰς βεβαιώσεις τῶν κτημάτων ὁ νόμος κελεύει ποιεῖσθαι *quemadmodum lex iubet praestandas esse evictiones possessionum.* Quum ergo leges sponsionem praestandam esse constituissent, eam etiam tabelliones inter consuetas contractuum formulas receperunt. Quare mirari non subit, si in Papyro Anastasy pro solito tabellionum more diligentissime adnotetur venditores spondere evictionem. At venditores uti idoneos sponsores probatos fuisse a Nechute emptore, hoc formulis tabellionum accenseo, si enim haud probos indicasset, utique fideiussorem dari petiisset. Sed inde colligi potest

accuratissima diligentia Aegyptiorum in stipulatione contractuum. Iam, ut revertar unde haec mea discessit enarratio, allata interpretatio verborum συγγραφὴ ἐστυριωμένη *syngrapha sponsione munita* consonat cum Aegyptiis legibus, et consuetis tabellionum formulis.

Atqui, hac interpretatione admissa, sequeretur syngraphas, a quibus huiusmodi formula abesset, omni auctoritate in foro carere: ait enim Hermias εαν τις επενεγκηι συγγραφην επι το δικαστηριον μη εστυριωμενην μη προσχρησθαι, και εαν τις επενεγκηι ψευδη συγγραφην διαιρεισθαι αυτην *si quis in tribunali protulerit syngrapham nulla sponsione confirmatam, ea valide uti nequeat, tum si quis falsam syngrapham protulerit, ea laceretur.* Ita ne Aegyptias leges infirmasse contractus, si in eorum syngraphis deesset mentio sponsionis? Apud Romanos eiusmodi omissio non oberat neque contractui, neque evictionis iuri; nam ait Ulpianus (Digest. *de Aedilit. Edict.* l. 31 § 20) *quia assidua est duplae stipulatio, idcirco placuit etiam ex empto agi posse, si duplam venditor mancipii non caveat, ea enim, quae sunt moris et consuetudinis, in bonae fidei iudiciis debent venire.* Quamobrem si duplam non cavisset venditor, poterat emptor agere ex empto, non item ex evictione quatenus evictio duplam stipulare solebat. Praeterea eiusmodi sponsio, licet nullis verbis declarata, inhaeret tamen intimae contractus naturae, ac praesumi debet. Sed quamvis haec rectissime disputentur, inclinat tamen animus, ut credam iurisprudentiam Aegyptiam infirmasse contractus, a quibus illa formula abesset; quod colligere videor ex iis, quae ad hoc caput reponit Horus pag. 7. lin. 1. et sq. ac lubet in antecessum enarrare, ut simul conferam quidquid ad forenses Aegyptiorum formulas attinet.

Itaque Horus respondet: *Ad ea, quae Hermias citavit ex patriis legibus de Styriosi syngrapharum, pari utitur responsione, illudque praeterea demonstrat, quod si coram popularibus iudicibus causa instituta fuisset, debuisset Hermias ad praescriptum legum ab ipso productarum, primum evincere se esse filium Ptolemaei, et illius, quam laudavit, matris, suosque parentes ex illa*

cognatione descendere, quam ipse exposuit; hoc evincere debuisset, antequam omnino eius argumenta de aliqua actione (instituenda) audirentur; hisce porro evictis, debuisset documenta quae ad domum pertinent, petere. Quod Hori responsum ita mihi enarrandum videtur. Non coram iudicibus Aegyptiis haec causa instituta est, ut patriis legibus adhaerendum sit, sed coram Praefecto graeco. Ponamus tamen Aegyptiis legibus standum esse, aio, quemadmodum meae syngraphae laborant omissione formulae contra praescriptum legum, ita praeter earundem legum iussa Hermias causam instituit, quin se suamque cognationem declararet, probaretque testimoniis, antequam actionem intenderet. Formulam omissam omissae formulae oppono. Jam si omissionis gratia fit Hermiae in Graeco tribunali causam dicenti, quid ni idem nolit indulgere mihi eas syngraphas afferenti, quae item formulae omissione laborant? Sed quaecumque demum statuant patriae leges, haud quaero; ament illae formulas, causa peroratur coram graeco iudice, qui quemadmodum ab Hermia non requirit, ut se suamque genealogiam diligentissime profiteatur, ita contractuum naturam pluris faciens, quam tabellionum phrases, sponsionem, licet omissam, praesumit in syngraphis. Horus ergo tacite fatetur suas syngraphas non *ἐστυρωμένας* improbari a patriis legibus. Eo etiam spectat generalis illa responsio, qua Horus paullo post lin. 13. invocat indulgentiam *αἰτιῶν πασῶν quarumcumque culparum* a Ptolemaeis datam usque ad diem XIX. Thoyth anni LIII Nemo enim ad indulgentiam confugit, qui omni culpa vacet Quod si alicui mirum videatur sapientissimos Aegyptios in re nihili, cuiusmodi est formula syngraphae tantum momenti collocasse, ut, ea omissa, sua auctoritate careret contractus, repono Aegyptios in rebus forensibus, ac contractibus accuratissimos fuisse, non secus ac in ceteris vitae institutis, quae ad certas normas erant exigenda. Nonne minutam anxietatem, ac scrupulum sapit mos ille deformandi venditores et emptores, quem deprehendimus in Papyro Anastasy, et in Antigrapho Grey? Scilicet non solum paternum ac maternum genus contrahentium refertur, sed

praeterea eorum aetas ac statura, ad haec describitur illorum nasus rectus aut simus, vultus rotundus aut oblongus, concavi oculi diligentissime pinguntur, calvities non omittitur, nec tandem reticetur ipsa cicatrix impressa in fronte Nechutis. Proh Ammon, Diique omnes! Nonne haec minoris ponderis sunt, quam promissio evictionis? Sane omissio huius formulae lites facile parere poterat; variis enim exceptionibus uti poterat venditor, in his, se voluisse vendere incertum iuris, emptori notum fuisse ius evincentis, retractum fuisse conventionalem, esse revera contractus, in quibus evictio non praestabatur, aliaque his similia. Quare Aegyptii ut litium fomitem extinguerent evictionem declarandam esse censuerunt; atque satius esse duxerunt quemadmodum in praescriptione, innocentem pretium rei imprudenter emptae ac stipulatae perdere, quam lites multiplicari.

Atque haec vocis στυριώσεως interpretatio mihi visa est ceteris probabilior; eam tamen coniecturae loco tantum propono, ac meliora expecto a monumentis quae fortasse detegentur.

Lin. 21. Βεϐαιωσεως) Budaeus in *Comm. L. Gr.* p. 475. hanc vocem illustrans contendit βεϐαιῶσαι idem esse, ac quod Iurisconsulti aiunt, praestare, ut habere liceat ei, cui stipulatione et sponsione evictionis cautum est. Vide etiam Bekkeri *Anecdota* pag. 219. sq. unde facile emendari potest corruptus locus Harpocrationis ad h. v.

Ibid. Συνιστασθαι τον λογον) Συνίστημι est *cogo, coagmento, conflo*, hisque similia. Λόγος usurpatur etiam de *lite, controversia, actione*; sic Demosthenes p. 972. l. 17. *ed. Reiske* ἐμοὶ πρὸς τούτους λόγος ἐστὶ, τούτοις δὲ ὁ λόγος ἔστω πρὸς τὸν ναύκληρον *mihi actio est in istos, istis vero actio competit in nauclerum*, alia loca vide apud Kypke *Obs. Sacr.* tom. II. p. 103. Par phrasis occurrit p. 6. lin. 10. τον περι της βεϐαιωσεως λογον συνιστασθαι *litem instituere de fideiussione*, et lin. 13. τον ἐξ ευθυδικιας λογον συνιστασθαι *recta via litem instituere*. Ergo ex patria lege emptores rei, quae evincebatur, litem instituere debebant contra venditores, seu illos etiam uti reos citare in eadem evictionis causa, cum iisque litem communicare. Par lex vigebat apud Romanos. *Emptor conventus litem sibi motam*

auctori suo tempestive denunciare debet, ut liti assistat, defensionemque suscipiat, nisi denunciandi necessitas pacto remissa fuerit. Si cum possit emptor auctori denunciare, non denunciasset, idemque victus fuisset, quoniam parum instructus esset, hoc ipso videtur dolo fecisse, et ex stipulatu agere non potest, ita Paulus in *Digest.* lib. 21. tit. 2. l. 53. §. 1. *Mota quaestione, interim non ad pretium restituendum, sed ad rem defendendam venditor conveniri potest*, ita Hermogenianus *ib.* 9. l. 74. §. 2. Hanc porro legem ideo Hermias commemorabat, quia Lobais, quae domum Horo vendiderat, iam fidem scriptis fecerat, sibi nullum unquam ius fuisse in controversam domum; quare in ius vocata a Cholchytis testimonium contra ipsos dixisset.

Lin. 22. Και ετερους δε χρηματισμους κ. τ. λ.) Quamvis plurali numero enuncientur χρηματισμοί, unicum tamen fuit decretum Hermiae, quemadmodum luculentissime evincam, ac colligi potest ex sequenti singulari lin. 24. ωι υπετετακτο *cui decreto annectebantur.* At quum decretum compluribus partibus constaret, pluralis numerus quadantenus admitti potest. Sed universum hunc χρηματισμὸν enarremus.

Petitor p. 1. lin. 24. asseveranter affirmaverat in solis Memnoniis licere Cholchytis habitare. Idem p. 2. lin. 23. spondet se in iudicio producturum exemplaria litterarum: 1.° Aeneae Strategi, quas iste ad Ptolemaeum Praefectum dederat iubens Cholchytas ex urbe ad Memnonia transferendos esse, simulque addens hanc esse Regis sententiam sibi per litteras Tatae Medici Regii significatam: 2.° Diasthenis Strategi, qui eandem translationem superioribus annis indixerat. Iam vero ex illis, quae Heraclides hic loci narrat veluti a Philocle in causa peroranda exposita, intelligimus rem omnem ita peractam fuisse. Aeneas, quum Pathyriti Strategia fungeretur, iusserat Taricheutas transferendos esse ad Memnonia, isti imperata non fecerunt. Interea spatium aliquod temporis effluxit, quo intervallo Aeneae loco Diasthenes Strategus Nomi renunciatus fuit. Sacerdotes Ammonis contumaciam Taricheutarum aegre ferentes dederunt litteras ad Diasthenem Strategum, quibus efflagitabant, ut

Aeneae iussa executioni mandarentur; simulque, veluti petitionem suam publico testimonio communituri, comitem addiderunt ἀναφορὰν *relationem* Pamonthis Loci-Scribae, qua, uti coniicio, testabatur Taricheutas adhuc habitare in eo Diospolis loco, cui ipse praeerat. Diasthenes epistolam Sacerdotum et Pamonthis relationem remittit ad Hermiam Praefectum simul addens epistolam suam. Hermias, re ad praescriptum legum et consuetudinum pensata, edit χρηματισμὸν, seu *decretum*, cui haec documenta attexuit: 1.° Epistolam Diasthenis Strategi ad ipsum datam: 2.° Epistolam Sacerdotum Ammonis datam ad Diasthenem: 3.° Relationem Pamonthis Loci-Scribae: 4.° Epistolam Aeneae Strategi. Par Decreti exemplum suppeditat Inscriptio Oasitica edita a Letronnio (1). Nam Posidonius Strategus Oasis primum narrat se epistolam accepisse ab Ἡγεμόνι; deinde recitat epistolam ipsam; tandem edictum Ἡγεμόνος proponit. Haud equidem video quid accuratius fieri possit nostra hac aetate.

Sed duo in hac narratione veluti rata posui quae illustratione indigent.

Hermias petitor laudaverat hoc decretum quasi in Cholchytas latum; Heraclides vero indubie affirmat in Taricheutas datum fuisse, quippe ait lin. 28. περι του τους απο της Διοσπολεως Ταριχευτας μετοικισθηναι εις τα Μεμνονεια *de Taricheutarum domicilio a Diospoli ad Memnonia transferendo*. Scilicet Hermias, ut facilius adversarios prostraret, callide confuderat Cholchytas cum Taricheutis, illisque accommodaverat decretum, quod contra istos tantum latum fuerat. Quod perversae calliditatis exemplum neque primum neque postremum fuisse existimo in re forensi. Sed Hermiae erratum prudenter emendavit Heraclides decretum exponens. Tum Dinon hoc argumentum adversarii refutaturus posteaquam iudices monuit decretum versari περι του τους απο του τοπου Ταριχευτας μετοικισθηναι εις τα Μεμνονεια *de Taricheutis loci transferendis ad Memnonia*, subdit Horum eiusque collegas esse Cholchytas, non vero Taricheutas, atque inter

(1) Journal des Savans. Novembre 1822.

utrosque maximum interesse discrimen, vide p. 8. lin. 8-22. Ceterum si Cholchytis non licuisset in urbe habitare, profecto Horus causa cecidisset; atqui victor abiit.

Praeterea Hermiam Praefectum fuisse dixi, non vero Strategum, quamvis luculentissime Papyrus praeseferat lin. 22. *και ετερους δε χρηματισμους Ερμιου του συγγενους και στρατηγου και νομαρχου.* Quid enim? Fac Hermiam fuisse Strategum quo tempore Diasthenes Strategus ad ipsum dedit epistolam, haec sequuntur absurda; Strategus Stratego iussa dat, duo Strategi eodem tempore eundem Peri-Thebarum Nomum moderantur. Quod si aliquis comminiscatur alterutrum fuisse Epistrategum, facile refellitur; enimvero Hermias vel hoc anno LIV. adhuc erat Strategus, tum Diasthenes totis litteris Strategus appellatur hic loci lin. 24, et p. 2. lin. 27. dicitur *στρατηγησας*. Superest ergo, ut statuamus quo tempore Diasthenes fungebatur Strategia Pathyriti, Hermiam tantum fuisse *'Επιστάτην* *Praefectum*; ideo vero hic titulo Strategi honestari, quia haec narratio scripta fuerat anno LIV, quo revera Strategiam tenebat. Qua coniectura, mihi quidem certissima, semel admissa, iam quisque intelligit, quemadmodum (vide p. 2. lin. 23.) Aeneas Strategus suis litteris indixerat Ptolemaeo Praefecto transferendos esse Taricheutas, ita de eadem translatione Diasthenem Strategum scripsisse ad Hermiam Praefectum. Hinc quoque patet honorum cursum eiusmodi fuisse, ut a Praefectura Nomi ascenderetur ad Strategiam Nomi sive eiusdem, sive alius; nam Hermias a Praefectura Pathyriti gradum fecit ad Strategiam cum Nomi tum praesidii Ombitici.

Ex hucusque disputatis haec colligo:

1.° Cholchytis licebat in urbe Diospolis habitare.

2.° Taricheutae in solis Memnoniis habitare ex lege debebant, quod iam pridem (*και προτερον* p. 2. lin. 25.) statutum fuerat. Quare Alexander Alexandriam exaedificaturus curavit ut *ταριχεῖαι* extra urbem essent; sic enim Strabo XVII. pag. 1145. Alexandriae partes describens, *εἶθ' ἡ Νεκρόπολις, καὶ τὸ προάστειον ἐν ᾧ κῆποί τε πολλοὶ καὶ ταφαὶ καὶ καταγωγαὶ πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν ἐπιτήδειαι.* *Postea*

et Necropolis, et suburbanum in quo horti plurimi sunt, et sepulturae ac domicilia saliendis mortuis idonea. Irrepserant quidem in urbem, regnante Evergete, sed iterum ad Memnonia iubente Praefecto detruduntur; ac revera antiquam sedem repetiissent, nisi a Rege subinde impetrassent, ne ulla sibi inferretur molestia, de quo dicam ad p. 8. lin. 22. Facile quisque coniicere potest, cur domicilium a ceteris civibus secretum fuisset indictum Taricheutis, qui suum officium peracturi lanionum instar exenterantes cadavera stomachum accolis movissent, simulque aëris salubritatem corrupissent.

3.° Sed praeter hanc, quam *politiae* dicimus, causam, alia etiam sacra intercedere debuit; nam videmus Sacerdotes Ammonis de translato domicilio postulasse Taricheutas apud Strategum, quod numquam fecissent, nisi religio inde aliquid detrimenti passa fuisset. Probabilem religionis causam suppeditat locus p. 2. lin. 22, in quo Hermias ideo Cholchytas ex occupata domo expellendos esse contendit, quia, quum haec esset sita iuxta Cursum Templorum Iunonis et Cereris, cadavera, quae ad Cholchytarum domicilium deportabantur, debuissent traiicere Cursum Templorum, quod nefas erat; nam Dii abhorrent a cadaveribus, et ab iis, qui cadavera curant. Meminerint porro lectores Hermiam callide semper confudisse Cholchytas cum Taricheutis; quo posito, res huc redit. Taricheutis, utpotequi cadavera impura tractabant, haud licebat iis in locis domicilium figere, ad quos non pateret aditus, nisi per vias alicui templo sacras, ne harum sanctitas in traiectu cadaverum pollueretur. Atqui hoc facile contingere potuisset in urbe Diospolis compluribus templis sacrisque cursibus ornata. Illos ergo sacra lex merito detrudebat ad illam Memnoniorum partem, in qua suspicari licet unum tantum vel alterum templum fuisse dedicatum, liberumque fuisse ad Taricheutarum domicilium accessum, quin puritas alicuius cursus contaminaretur.

Verum Dii non modo a cadaveribus abhorrebant, sed etiam a Taricheutis cadavera medicantibus; ait enim Hermias p. 2. lin. 22. αις (θεαις) αθεμιτα εστιν νεκρα σωματα, και οι ταυτα θεραπευοντες. Patet

igitur Taricheutas inter immundos homines recensitos fuisse, adeoque nec templa ingredi potuisse, quod supra monui ad p. 1. lin. 21, fortasse etiam neque ab aliis contingi sine contractae pollutionis detrimento. Par erat, si licet sacra componere prophanis, Hebraeorum lex de Immunditiis; qui hominis vel animantis cadaver tetigisset, septem dies aestimabatur immundus, ab hominum societate, a sacris peragendis, a templi ingressu abstinebat; quare Sacerdotes, ne contactu immundorum polluerentur, clamare solebant *recedite immundi*, *Ierem. Thren.* IV. 15. Nec mirabimur legem de Immunditia viguisse etiam apud Aegyptios; prisci enim legumlatores, ut facilius homines informarent ad humanitatem potissimum eos absterrere debebant a tetro cruore, a laniena, ceterisque, quae ingenitae feritatis sensus alerent et excitarent.

4.° Atqui Cholchytae cadavera etiam versabant, tamen immundi non censebantur, et sacra munia in templis obibant; statuamus ergo oportet, cadavera nondum medicata fuisse immunda, at iam salita fuisse munda. Quam opinionem confirmare mihi videntur ea, quae veteres scriptores tradunt de consuetudine Aegyptiorum medicata cadavera domi studiose servantium. Si enim illa, vel salita, fuissent immunda, ergo immunda universa domus, a civium frequentia, a templorum aditu arcenda; scilicet gravissimum extitisset incommodum, quod quisque a se summa ope amoliri curasset. Accedit quod legumlatores duo constituere circa cadavera, moribusque inducere debebant; tum ne homines cadaveribus contrectandis versandisque assuescentes obdurescerent ad caedes, humanitatemque exuerent; tum ut homines pietate erga defunctos tangerentur, et mortuorum reliquias honoribus cultuque omni prosequerentur. Utrumque rectissime curasse mihi videntur Aegyptii sancientes cadavera nondum salita fore immunda, at medicata rem esse sacram ac venerandam. Hinc Cholchytae habebantur puri, contra Taricheutae impuri. Haec scripseram, quum, praeeunte Cl. Champollionio, animadverti eisdem characteribus scribi nomina Sacerdotum et Mumiarum in Papyro Demotico Casatii, quod item observavi in

duobus Papyris Demoticis Berolinensibus anni XLVI. Evergetis. Unde vero ortam putabimus hanc homonymiam? Scilicet quum Sacerdotes ⲟⲩⲏⲏⲃ *puri, mundi, sanctificati* appellarentur, facile etiam eadem appellatio communicata fuit cum Mumiis religioso ritu purgatis, ut adeo *purae* haberentur, atque appellarentur.

Lin. 31. Προθεσμιων) Dubio vacat τὴν προθεσμίαν (subint. ἡμέραν) Atheniensibus fuisse diem praefinitum, quo elapso petitori non dabatur actio, quia non egerat intra tempus a lege praefinitum; latine reddi potest *praefinitus dies*, vide Dorvillium *ad Chariton.* p. 348. *ed. Lips.* Budaeum *Comment. in L. G.* p. 122. Reiskium *Ind. Graec. Demosth.* ad v. Sed quum multae actiones praescribi possint, sic appellatio, responsio ad libellum datum, alienae rei occupatio, et cetera, quae Voëtius (*Comment. in Pandectas* lib. XLIV. tit. III. n.° 6.) enumerat, atque omnibus nationibus communia merito existimari possunt; tum eiusmodi titulus (si ita loqui fas est) in iurisprudentia Aegyptia plurali numero enunciabatur περὶ τῶν προθεσμιῶν (Papyr. p. 4. lin. 31, et pag. 7. lin. 23.) ut adeo credam hunc titulum complexum esse varios pro diversis actionibus terminos, intra quos experiundi facultas daretur. Ac quum non uno tantum, sed pluribus edictis Aegyptii Reges quae ad hanc rem attinent, constituissent, ait enim Dinon plurali numero περι των των προθεσμιων παρακειμενων προσταγματων: iure colligo hanc iuris partem enucleate et fuse in Aegypto definitam, novisque edictis progressu temporis auctam pro re nata, vel etiam emendatam fuisse.

Sed quorsum Philocles edictum de diebus praefinitis citavit? Haud facile apparet ex contextu, nam generatim accusantur adversarii ad legis praescriptum non egisse. Anne perentoriam praescriptionem, qua iura omnia praescribuntur, innuere voluit? Legem citasset clienti suo adversantem. Hermias enim eiusque pater, quod supputatis temporibus Dinon evincere contendit, ab annis octoginta octo aberant a Diospoli, tum Horus eiusque auctores, nemine adversante, pacifica toto eo tempore possessione gaudebant. Quae licet patrocinatorum more exagerata fuisse credi possint, tamen non solum

legitima, uti videbimus, usucapione utebantur, sed etiam longi temporis praescriptione. Philocles ergo, nedum citare eiusmodi praescriptionem, potius uti debuisset exceptione aliqua, reponens eam a libellis identidem ab Hermia oblatis contra Cholchytas intermissam fuisse, Hermiam reipublicae causa domo abfuisse, et his similia. Quare quum nihil horum disputatum videam a Philocle, atque hac ex parte claudicet Hermiae causa, existimo alias edicti partes allegatas a patrocinatore fuisse, potissimum vero illam de praestanda restauratione eremodicii. Enimvero coniicere licet, immo pro certo ponere, quum a legibus animadverteretur in eos, qui ad diem constitutum in iudicium non euntes, vadimonium vel contestatam litem deseruisse videbantur, tum leges de praefinitis diebus constituisse intra quot dies liceret eremodicii damnato dicere diem adversario ad excusandam suam absentiam, et purgandam moram, nisi fecisset iure suo omnino caderet. Profecto quaevis vel imperfecta legislatio aliquid hac de re sancire debebat; sancivit autem Atheniensis, de qua consule Petiti *Leg. Attic.* lib. IV. tit. II. Atqui Philocles recte poterat hanc edicti partem opponere Cholchytis; iis enim semel et iterum Epistrategus, vel Praefectus diem dixerat, numquam tamen, quod Hermias saepe obiicit, vadimonio occurrerant. Ratum ergo habeo Philoclem allegantem edictum περὶ τῶν προθεσμιῶν hac fere usum esse argumentatione: Cholchytae ter quaterque in iudicium evocati sive ab Hermia denunciante, sive a litteris Epistrategi, numquam venerunt, numquam etiam suam absentiam moramque purgarunt; quum igitur edictum περὶ τῶν προθεσμιῶν sanciat causa cadere illos, qui intra praefinitum tempus vadimonium desertum non instaurent excusando moram, merito Cholchytae causa cecidisse dicendi sunt.

Quid ad haec Dinon? Directe haud respondet infra p. 7. lin. 22. sq. quia revera Cholchytae bis vel ter in ius non venerant, Dinon enim innuit eos semel tantum venisse anno LI. Prudenti itaque silentio praetermittens hanc edictorum περὶ τῶν προθεσμιῶν partem, ad Edicta quidem respondet, sed aliam citans partem, quae erat

de peremptoria praescriptione iurium omnium, atque ait: Quum Hermias eiusque pater iam a longo tempore, annis scilicet 88, a Diospoli absint, eorum bona immobilia, si qua tamen fuerunt, iure usucapiuntur a possessoribus, quos veluti iniustos occupatores Hermias traducit. Quid Aegyptia decreta περὶ τῶν προθεσμιῶν statuant de usucapione, norunt omnes; triennium sufficeret ad usucapiendum iudicio vel indulgentissimi viri; atqui anni octo supra octoginta iam fluxerunt. Praeterea, ita ne Cholchytas iudicium recusasse? Venerunt enim vero in ius anno LI, causa dicta est, iudice Ptolemaeo, Hermias condemnatus fuit. Ad hunc modum enarranda mihi videtur argumentatio ac callida responsio Dinonis.

Sed negotium fortasse aliquibus facessunt illa verba ει και τις επιχωρησαι κ. τ. λ. Quid enim? Nulla ne lege definiebatur usucapio, ut Dinon illam ad iudicium indulgentissimi viri condere deberet? Profecto extabat, neque credendum est sapientissimos Aegyptios nihil de re tanti momenti statuisse. Sed Dinon legem omnibus perspectissimam praeteriens voluit, quo acrius premeret adversarios, terminum eo usque protrahere, quo indulgentissimus quisque distulisset, atque trium ad summum annorum terminum ad usucapiendum constituit. Atque utinam Dinon nulla oratoria concessione usus ex decretis respondisset! cognosceremus enim quid Aegyptiae leges cavissent de praescriptione. Sed blandior mihi coniectura id assequi. Qui erga reduces sua occupata bona vindicantes facilem se praebuisset, is non protraxisset usucapionem ultra triennium; ergo regia decreta eam non prorogabant ultra biennium. Consonant leges decemvirales, in quibus ita cautum legimus: *usus auctoritas fundi biennium, ceterarum rerum annuus usus esto*, ita ut res immobiles biennio, mobiles anno usucaperentur. Paullo liberalior fuit Solon. Hic enim auctore Demosthene ὑπὲρ Φορμιων. p. 952. *ed. R.*, in lege τῆς προθεσμίας a se condita τοῖς ἀδικουμένοις ἱκανὰ τὰ πέντε ἔτη ἡγήσατο εἶναι εἰσπράξασθαι: idem colligitur ex alio eiusdem πρὸς Ναυσιμ. loco p. 993. τοῦ νόμου πέντε ἔτη τὴν προθεσμίαν δεδωκότος. Scilicet laesi debebant intra quinquennium dicam scribere,

ni fecissent, eorum actiones praescriptae fuissent, atque una ipsis superfuisset παραγραφὴ, de qua vide Budaeum *Comment. in L. G.* p. 55. 589. Petiti *Leg. Attic.* p. 429, et Reiske *Ind. Graec. Demosth.* ad v. Plato longiorem terminum figendum esse censuit *de Legib.* lib. XII. p. 203. *ed. Bip.* sanciens, ut, si quis mobili re (nam nullam immobilium usucapionem admittit) aperte intra urbem per annum, vel ruri per quinquennium uteretur, eam usucaperet; si vero occulte rem haberet domi intra urbem per triennium, in agris per decennium, eam praescriberet. Scilicet, quum priscis temporibus neque ita instituta essent commercia, ut multum inde lucri respublica perciperet, neque bella ita administrarentur, ut, quod dicere solemus, bellum a bello ipso sustentaretur, imo patriam ditaret, sed universae vires reipublicae ab una agricultura penderent, eoque spectaret politica illorum temporum oeconomia; tum breves termini usucapioni figendi erant, ut possessorum diligentia magis magisque excitaretur, nullus esset incultus ager, nullus possessor de iure suo diu incertus molliter ac remisse exerceret fundum non ita pridem a se occupatum. Adde fundos non ita magnos fuisse; plerosque possessores suos coluisse agros; ut facile quisque potuisset intra biennium iniquam occupationem advertere. Quod si leges Decemvirales hisce rationibus innixae sanxerunt Romanum fundum iure usucapi post biennium; quanto magis parem legem viguisse putabimus in Aegypto, quae suas opes omnes frugum proventui acceptas referebat? Verum saeculorum progressu Romani longius protraxere usucapionis terminos, tum longi temporis praescriptionem invexerunt, quae utpote notissima praetereo. Hinc pronum est colligere, quo magis homines a primaeva rustica vita desciscentes ad commercia, peregrinationes, bella, novaque reipublicae munera in dies aucta se conferebant, eo magis usucapionis terminos fuisse amplificatos. Iure enimvero; nam cives ius habebant, ne, dum aliis muniis e reipublicae bono distinebantur, suis possessionibus spoliarentur a legibus primaevae agricolarum conditioni unice accommodatis; tum ipsa respublica, nedum aliquid detrimenti, sed multum

emolumenti capiebat, damnum enim ob fundum ad aliquot annos desertum illatum abunde compensabatur a lucris commercii, a novarum provinciarum accessione, aliisque cultioris vitae commodis. Quod vero apud ceteras nationes factum esse vidimus, ut, volente reipublicae bono et civium iure, longior mora constitueretur ad usucapiendum, cur censebimus illud Aegyptios imitatos non esse? Scilicet Aegyptii, non secus ac Spartani (quod item Solon Atheniensibus inculcaverat) antiquorum institutorum tenacissime studiosi vix a se obtinere poterant, ut quidpiam sive in religione, sive in civilibus rebus innovarent; hinc neque priscos ordines turbare ausi sunt aut Persae aut Lagidae, tum Romani nisi pedetentim nova iura in Aegyptum induxerunt; ita ut, quod Spartanis contigisse scimus, verissime de Aegyptiis affirmari possit, eos sua se confecisse immutabilitate. Quamobrem mirari non subit, si aetate Evergetis fundi adhuc usucaperentur biennio ex veteri more. Existimo tamen, quod Aegyptiorum sapientiae concedendum est atque evincit Atheniensium legislatio, multas pro re nata *παραγραφὰς* invectas fuisse, quibus spoliati domini uterentur ad res suas evincendas, elapso biennio. Ceteras praetereo; tantum peto, ut mihi pro absentibus concedatur exceptio, quam diutina bella extra Aegyptum gesta vel a priscis temporibus induxerunt. Quod si verum est, facile explicantur illa Dinonis verba *και μη τον παντα χρονον συγχωρεισθαι* Quum enim Hermias eiusque pater, fatente Dinone, domicilium Thebarum deseruissent stipendia facturi in superiore Aegypto, tum Dinon, ut implexas vitaret quaestiones legumque interpretationes de usucapione inter absentes, aliasve exceptiones quibus Hermias uti poterat, generatim dixit numquam vel ab indulgentissimo homine omne tempus concessum iri domino ad experiundum contra occupatorem. Ni res ita sit, quorsum Dinon addidisset *τὸν πάντα χρόνον* *omne tempus*, aeternitatem dixerim, posteaquam extremum terminum iudicio liberalissimi viri ad triennium protraxerat? Quempiam ne indulgentiorem esse liberalissimo viro? Ita ne Aegyptium Iurisconsultum ignorare nullam intercedere proportionem inter *omne tempus*,

quod est infinitum mathematicum, et numerum ternarium? Vel adeo desipuisse, ut posteaquam liberalissime adversario largitus fuerat triennium, ab eo peteret, ne sibi omne tempus sumeret ad usucapiendum? Atqui omnia cohaerent, si fingas a recentioribus decretis *παραγραφὰς exceptiones* quasdam permissas fuisse dominis spoliatis, quas Dinon putavit eludi posse, si negaret omne tempus ad experiundum dari posse a legibus.

Lin. 31. Προσαδρευεν) Apud Polybium lib. XXXVIII. 5. 9. *προσεδρεύειν τοῖς καιροῖς* est *studiose observare tempora*. In libro I. *Macchab*. XI. 40. *προσεδρεύειν τινί* notat *insistere*, *instare apud aliquem*. Iam hic erit *insistere alicui rei*, illamque urgere veluti praesidium causae.

Lin. 36. Περιεσπακεναι) Περισπᾶν est *circumagere*, *trahere*, *raptare*, vide II. *Reg*. VI. 6; inde est notatio *decipiendi*, nam Suidas habet Περισπᾶν. ἐξαπατᾶν. Praeterea notat *in diversa trahere*, quod si de animo intelligatur erit animum ad alia avocare, vel a delectamentis ad seria studia, idest *negotiis*, *studiisve aliquem distinere*, vel a gravissimis rebus ad delectamenta, seu *iucunde distrahere mentem*, vide Dorvillium *ad Charit*. p. 304. Wesselingium *ad Diod. S.* XII. 38. Lexicon Polybianum et Thomam Magistrum ad v. Vel si de re sermo sit, quae in diversa trahatur, notat *distrahere*, *detrahere*, quare Thomas M. vocem etiam enarrat verbo *παραιρεῖν*, et Suidas *μετὰ βίας ἀφαιρεῖσθαί τι*, sic *detrahere pannos* in Luciani *Toxari* 30. *detrahere tiaram* in *Xenoph. Cyrop*. III. 48. Paullo aliter Longinus *de Subl*. XLIII. 1. *τὸ Ζεσάσης πολὺ τὸ ὕψος περισπᾷ διὰ τὸ κακόστομον*, *vox* Ζεσάσης *multum detrahit magnitudini propter sonum molestum*. Iam in hoc Papyri loco verbum *περισπᾶν* notat circumagere aliquem, eumque in diversa trahere decipiendi causa. Vide etiam infra p. 8. lin. 1.

Ad Paginam 5.

Lin. 1. Διασεισμωι) Διασείω est *concutio*, *vehementer agito*, hinc *metum iniicio* vide *Polyb*. X. 26. 4. XXIX. 2. 5. Sed apud Iurisconsultos

notat concussionis crimen, quo quis, terrore in adversarium iniecto, aliquid ab eo extorquere satagit, quare in Basilicis *lib.* LX. extat titulus 24. περὶ Διασείσεως, scilicet *de concussione.* In Evangelio D. Lucae III. 14. μηδένα διασείσητε μηδὲ συκοφαντήσητε, utrumque etiam verbum coniunxit Antiphon in *Oratione* XVI. p. 159. Vide etiam adnotatores ad Eusebii *Hist. Eccles.* lib. VII. cap. 30. Eadem etiam potestate gaudet verbum διασείειν infra p. 8. lin. 13.

Lin. 4. Μιας μεν) Hic contractus ille est, quem Demotice edidit Cl. Young in suis *Hieroglyphics* pag. 34. Demoticus textus incipit: *Anno* 28. *Pachon* 18. *regnante Ptolemaeo et Cleopatra sorore sua, filiis Ptolemaei et Cleopatrae Deorum Epiphanum, et Sacerdote Alexandri* (tum sequuntur cetera Ptolemaeorum nomina, ceteraeque formulae in Protocollis obviae) *Alecis filius Eriei, et Lobais filia Eriei, et Tbees filia Eriei, singuli tres nati ex matre N. N. tum Senerieus filia Petenephotis nata ex matre Senlobais, tum Erieus filius Amenothis, tum Senosorphibis filia Amenothis, uterque natus ex matre Tsenamun, tum Sisois cognomento Erieus filius Amenothis ex matre Tsenchonsis, singuli septem consentientes in urbe Diospolis Magnae*, tum sequitur venditio domus *cubitorum septem cum dimidio, quam emit Teephibis filius Amenothis.* Versionem Demotici textus debeo humanitati Cl. Champollion Iunioris. Concinit etiam Graecum Registrum, quod ita lego: Ετους κη μεσορη κη τετ επι την εν ερμονθει τρ εφ ης Διο κ εγκ κατα την παρ ασκλ του προς τηι ωνηι διαγρ υφ ην υπογρ πτολ ο αντιγρ ωνης ο Τεεφιβις αμεν . . . . απο π (tum duae siglae sequuntur, quae certe cubitorum numerum *septem cum dimidio* indicant) απο ν (scilicet νοτου) του ολου ψιλου τ του οντος απο νοτου Διοσπολεως της μ ων αι γειτνιαι δεδ δια της προκειμε συνγρ ον ηγορ παρ Αληκιος και Λουβαιτος και Τβαιαιτος των Εριεως και Σενεριευτος της Πετενεφωτου και Εριεως του Αμενωθου και Σενοσορφιβιος της Αμενωθου και Σισοιτος του και Εριεως των Αμενωθου εν τωι κη παχων ιη etc.

Lin. 6. Τεεφιβις) Teephibis ergo duos susceperat filios, Psenchonsim

in hac causa citatum, tum Chonoprem a lite alienum. Quare Chonopres iste filius Teephibis distinguendus est a Chonopre filio Arsiesii in hac causa citato pag. 1. lin. 19.

Lin. 7. Εληκιος) Idem, genitivo casu, in Registro Papyri Grey supra allato dicitur Αληκιος; in eo etiam est Λουβαιτος, quum noster habeat Λοβαιτος. Quae varietates in vocalibus satis innuunt Aegyptiam linguam eiusdem esse indolis, ac sunt linguae orientales, in quibus parvi facimus vocales.

Lin 9. Πηχεις οικοπεδικους επτα ημισυ) Dubitari nequit, quin πηχεις οικοπεδικοι sint *cubiti areae domus*; soli vero qualitatem accurate designari consuevisse in contractibus, quum ex ea penderet tributorum ratio, dixi superius ad p. 4. lin. 2. Sed monstri instar est domus cubitorum septem cum dimidio, illa enim ne domuncula quidem, sed vix unica cellula dici potest. Quare Cl. Young in graeco Registro mox ad lin. 4. commemorato siglas, quae cubitorum numerum referunt, ita interpretabatur *of* 7000? *cubits*; tum in Registro, quem infra ad lin. 10. exscribam, pro cubitis duobus cum dimidio vertebat *of* 2000? *square cubits*. Atqui totis litteris Papyrus noster scribit επτα ημισυ *septem cum dimidio*, et infra lin. 13. δυο ημισυ *duo cum dimidio*; quibus numeris optime consonant siglae Demoticae numerorum, quas in Demotico horum Contractuum textu interpretatus sum ex certissima methodo Champollionii. Accedit quod in aliis syngraphis minimi etiam cubitorum numeri leguntur. Sic in hoc Papyro p. 4. lin. 2. habes agrum frugiferum cubitorum viginti; pag. 5. lin. 10. aream vacuam cubitorum decem, ex quibus septem cum dimidio venum eunt; ibid. lin. 18. quartam domus partem cubitorum trium cum triente, ita ut integra domus constaret cubitis 13. $\frac{1}{3}$; in Papyro Anastasy aream vacuam cubitorum 1. $\frac{1}{4}$; in Taurinensibus Papyris III. et IV. domum cubitorum 16, ex quibus septem divenduntur. Quare, quum de tuguriolis ne cogitandum quidem sit, alia ineunda est via.

Qua de re consulenti mihi Prosperum Balbum Virum Excellentissimum, eumque, ut cetera eius amplissima decora omittam,

septem, nempe Horum, Psenchonsim, Chonoprem, Panam, Nechutem, Asotum, et alterum Nechutem (vide me ad p. 1. lin. 10.) Aio aream cubitorum 13. $\frac{1}{3}$ sat amplam fuisse, ut in ea domus exaedificaretur huic Cholchyticae familiae excipiendae par; nam praetereo primam speciem, in qua octo quidem domini aedes cubitorum 7. $\frac{1}{2}$ possidebant, quum non constet omnes ea in domo domicilium habuisse suum. Quid enim? Cubiti 13. $\frac{1}{3}$ sunt cubiti quadrati 1333, seu gallica metra quadrata 269,266. Si cuivis cubiculo concedamus aream metrorum quadratorum 18, habebimus quindecim cubicula; iam, quum Diodorus Siculus I. 45. memoriae prodiderit fuisse Thebis *τὰς τῶν ἰδιωτῶν οἰκίας, ἃς μὲν τετρωρόφους, ἃς δὲ πεντωρόφους privatorum domos, alias ad quartam, alias ad quintam contignationem extructas fuisse*, iure possum duas saltem contignationes addere. Deme porro quavis in contignatione duo cubicula, ut tum scalis, tum murorum latitudini pateat locus; habebis domum cubiculorum triginta novem, quam facile ad quinquaginta perduces, si fingas tres in ea fuisse contignationes. Quis vero dicat exiguam me exstruxisse domum septem Cholchytis? Habuerint illi uxorem prolemque susceperint, per me enim licet; video tamen latissima esse spatia, in quibus et pueri equitent in arundine longa, et uxoes lanificam manum pensis admoveant, et Cholchytae taeniis cadavera involvant, atque universa familia mensae accumbens choreisve indulgens societ gaudia vitae, simulque iucunda capiat oblivia mumiarum, quin istae seorsim positae eorum offendant nares, quas tamen haud credo fuisse superbissimas.

Blandior si non exquisitiorem, saltem magis obviam propositae quaestionis solutionem exposuisse.

Ibid. Εκ του απο νοτου) Paullo aliter Graecum Registrum Grey superius descriptum *απο νοτου του ολου ψιλου τοπου του οντος απο νοτου Διοσπολεως της μεγαλης ad austrum totius fundi inculti positi ad austrum Diospolis magnae.*

Lin. 10. Ετερας δε) Hic alter contractus ille est, quem Demotice edidit Young in suis *Hieroglyphics* pag. 34. Revera textus

Demoticus praefert notationem anni 28. et diei 18. Pachon; idem est Ptolemaeus et Cleopatra; iidem venditores leguntur, tum luculentum est signum cubitorum duorum cum dimidio. Graecum Registrum ita lego: *Ετους κθ φαμ ϑ τετ επι την εν ερμ τρ εφ ης Διον κ εγκ κατα την παρ Ασκλ και Κρατου των προς τηι ωνηι διαγρ υφ ην υπογρ Πτολεμαιος ο αντιγρ Ασυς Ωρου ωνης ψιλου τ Β<* (scilicet cubitorum 2. ½) *του οντος απο ν διοσ της με ου αι γειτνιαι δεδ δια της πρ* (supple *συ*)*νγρ ου ηγ παρ Αληκιος του Εριεως και Λουβαιτος και Τβαιαιτος των Εριεως και Σενεριεως της Πετενεφωτου και Εριεως του Αμενωθου και Σενοσορφιβιος της Αμενωθου και Σισοιτος* (supple *του*) *και Εριεως του Αμενωθου* etc. Qui *Ασυς* hic dicitur, idem a nostro, mutata vocali, appellatur *Ασως*, vide adnotata ad lin. 7. huius paginae.

Alterum exemplar Registri huiusce contractus Demotici vidi in R. Museo Aegyptio-Parisiensi. Textus Demoticus notationem praefert anni XXVIII. diei 18. Pachon. Graecum vero Registrum tribus conclusum lineis ita se habet: *Ετους κθ φαμενωθ ϑ τ. επι την εν ερμωνθει τρ εφ ης Διονυσιος εικοστης εγκ κατα την παρ Ασκληπιαδου και Κρατου των προς τηι ωνηι διαγραφην υφ ης υπογραφει Πτολεμαιος ο αντιγραφευς Ασως Ωρου ωνης ψ τοπου πηχ βL του οντος απο νοτου Διοσπολεως της μγε ου αι γειτνιαι δεδηλωται δια της προκειμενης συγγραφης .... γορασεν παρ Αληκιος του Εριεως και Λοβαιτος και Τβαιαιτος των Εριεως και Σενεριεως της Πετενεφωτου και Εριεως του Αμενωθου και Σενοσορφιβιος της Αμενωθου και Σισοιτος του και Εριεως του Αμενωθου.*

L. 12. *Νεχουθιος*) A masculino *Νεχουτης* fit femininum nomen *Νεχουθις*.

Lin. 14. *Ετερας δε*) Hunc contractum nemo hucusque edidit, neque inveni inter Taurinenses aut Parisienses Papyros Demoticos. Certe in eadem urna conditus ille erat, in qua et hic noster Graecus, et duo Demotici Grey inventi sunt; illa enim servabat universa documenta causae Horum inter et Hermiam controversae. Quare nisi Arabes inventores urnae papyrum aliquem male mulctaverint, spero fore, ut tertius hic contractus Graeco Registro munitus aliquando in lucem proditurus sit.

Lin. 18. Ων και τα τελη) Pronomen ων refero ad genitivum συγγραφων Αιγυπτιων lin. 4. cetera, quae interseruntur, nihil sunt, nisi enumeratio syngrapharum. Verbis τα τελη τεταχθαι εις την του εγκυκλιου ωνην affinis est phrasis infra p. 9. lin. 13. ων και τα καθηκοντα τελη τεταχθαι εις την του εγκυκλιου ωνην, utraque vero conferenda est cum consueta formula Registrorum Graecorum, cuius praecipua verba referre iuvat: Ετους N. N. (notatur annus et mensis) τετακται επι την εν N. N. (notatur nomen urbis) τραπεζαν εφ ης N. N. (nomen publicani redemptoris vectigalium) N. N. (vel δεκατης, vel εικοστης etc. prout *decima*, aut *vigesima* eo anno pendebatur) εγκυκλιου . . . . . ωνης (genitivus pretii, vel causae, quandoque legitur casus dativus ωνη *ob emptionem*; deinde contractus emptionis paucis perstringitur) . . . . τελος (porro sequitur sigla numeralis. Tandem subscriptum extat nomen Publicani, addita sigla TP, scilicet Τραπεζίτης, quam siglam Young perperam legebat υρ, υγρ. (1)). Quare constructio Registrorum, quae torsit ingenium Cl. Buttmanni (2), passiva est, atque ita instituenda, ut nominativus primi verbi τετακται sit postrema vox τελος *tributum*. Porro η του εγκυκλιου ωνη est *redemptio annui tributi*. Sane ἐγκύκλιος est *qui in orbem redit*, quum vero praestitutus orbis longior breviorve esse possit, ἐγκύκλιος de diurna, vel annua, vel etiam longiore periodo usurpari potest. Sic *Isocr. ad Nicoc.* n.° 6. οὐ μόνον δ' ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις, καὶ τοῖς καθ' ἡμέραν ἑκάστην γιγνομένοις *in rebus quae quotidie in orbem redeunt*, vide eundem Συμμαχ. n.° 29. Ἐγκύκλιοι ἀρχαὶ, teste Budaeo *Comm. L. Gr.* p. 990. dicebantur munera, quae sortito deferebantur, quasi in orbem redeuntia. Ἐγκύκλιοι λειτουργίαι· αἱ κατ' ἐνιαυτὸν γινόμεναι ita Lexicon in *Anecdotis Graecis* Bekkeri p. 250. (3). Satis vero inter omnes constat vectigalia redempta fuisse a Trapezitis. Atque haec in antecessum dicta sufficiant, plura enim dicam quum Graeca Registra Taurinensium Papyrorum edam. Dubitare ergo nequimus,

(1) An account of some recent discoveries p. 152.
(2) Erklärung der griechischen Beischrift. Berlin 1824. p. 20.
(3) Cum his confer quae optime adnotat Böckhius in Buttmanni *Erklarung*, pag. 9.

quin phrasis ων και τα τελη τεταχθαι εις την του εγκυκλιου ωνην innuat graecum Registrum Trapezitae. Iam si Horus demonstraturus suas syngraphas in iudicio valere hoc adiunctum Graeci Registri non praeterit, si iudex (infra p. 9. lin. 13.) sententiae causas enumerans diligenter monet syngraphas Hori fuisse tum Aegyptias, tum in libros Trapezitae relatas, quod ad tributum attinet; quis inficias iverit Graecum Registrum ita pertinuisse ad instrumentorum auctoritatem, ut syngraphae, quae illo caruissent, illegitimae haberentur?

Lin. 20. Εμποιησαμενου) Εμποιεῖν proprie est *aliquid in aliquo ingerere*, hinc illae phrases αἰδῶ τοῖς στρατιώταις ἐμποιεῖν, et τοῖς κακίοσι θάῤῥος ἐμποιεῖν *animum, pudorem in aliquo ingerere*, et aliae affines, quas lege apud Sturzium *Lexic. Xenoph.* ad v. Quare recte Corayus ad *Heliod. Aethiop.* t. II. p. 135. monebat ἐμποιεῖν requirere dativum personae, ut sit ἐμποιεῖν τι τινί. Alexandrini vero voce media ἐμποιεῖσθαι sequente genitivo, notarunt *se ingerere in aliqua re, se alicui rei immiscere in eaque ius aliquod exercere*. Sic *Exod.* IX. 17. ἔτι οὖν ἐμποιῇ τοῦ λαοῦ μου *adhuc te ingeris, potestatem aliquam exerces in populum meum*, perperam alii vertunt *retines*. Item III. *Esdr.* V. 60. οἱ ἐμποιούμενοι ἱερωσύνης *qui in sacerdotio se ingerunt*, eoque funguntur. Hinc infra p. 6. lin. 17. ηιπερ (Λοβαιτι) ουκ ετ ην εξουσια της οικιας εμποιεισθαι πεπρακυιαι το εαυτης μερος *Lobaiti, quae portionem suam vendiderat, nullum supererat ius se ingerendi in domo*; et pag. 7. lin. 25. των αλλοτριων εμποιεισθαι *in rebus alienis se ingerere, aliena occupare*; tum in hoc loco et p. 9. lin. 20. absolute sine ullo casu ουθενος απλως εμποιησαμενου (subintellige οικιας) *quin omnino aliquis se ingereret* scilicet in domo. At quum phrasim *ingerere se in aliqua re*, quae adamussim graeco ἐμποιεῖσθαι respondet, latinae aures respuant, converti *quin aliquis fuerit, qui domum sibi vindicaverit*.

Lin. 21. Τριακοντα επτα) Prima syngrapha annum κη, seu XXVIII, Philometoris praeferebat; hic porro regnavit ann. 35. (vide infra ad lin. 31); Horus ergo per septem Philometoris annos domum possedit. Quum vero haec lis controverteretur anno LIV. Evergetis,

qui post Philometoris mortem coepit annum sui regni XXVum numerare, recte proinde ab anno XXVIII. Philometoris ad annum LIV. Evergetis supputantur anni XXXVII.

Lin. 22. Των φιλανθρωπων) De τοῖς Φιλανθρώποις, quae Romani *Indulgentias* appellabant, dicam inferius ad p. 7. lin. 17. Hic tantum monebo hanc ipsam legem de Indulgentiis hisce verbis commemorari infra p. 9. lin. 21. προσταγματος μερος του εκτιθεντος εν τωι κϛL περι των φιλανθρωπων περι των κεκρατηκοτων *capitulum edicti anno XXVI. promulgati de Indulgentiis, quae possessoribus essent concedendae.* Eiusmodi ergo edictum auctorem habuit Philometorem.

Lin. 27. Τοις βασιλευσι) Libellus supra allatus quum Hermiae Stratego, et Nomarchae inscriberetur, nisi mediate Reges alloquebatur. Quorsum vero pluralis numerus τοῖς βασιλεῦσι? Nonne solus Evergetes regnabat, quum Hermias libellum obtulit Stratego? Dubitari nequit. Luculentissimum ergo habemus exemplum pluralis numeri, quem *maiestatis*, vel *excellentiae* appellare solent grammatici. Hunc ab Oriente adscivisse Lagidas evincunt loca I. *Esdr.* IV. 18. VII. 24. I. *Macch.* X. 19. sq. XI. 31. sq. etc., in quibus Persarum et Syriae reges usurpant superbum pronomen *Nos.* Horum tamen titulus *Rex regum*, *Rex magnus* singulari numero efferebatur, ut titulus pluralis novum videri possit monstrum. Sed quis ignorat quot monstra pepererit vanissima superbia! illa saltem levissima sunt, quae grammaticas tantum rationes laedunt. Huiusce tamen pluralis exempla invenio apud antiquissimum totius orbis populum, nempe apud Hebraeos. Enimvero hi unitatem Dei profitentes Deum tamen plurali numero *Adonai*, *Elohim*, *Sciaddai*, *Kedoscim* appellabant; quod ubi quotidiano sermone frequentare coeperunt, tum infaustam Adae superbiam homines aemulati se quoque, veluti Deos, plurali appellatione decoratos amarunt; hinc *herum* dixerunt *baalim* seu *dominos* (1), Iosephus audit *Adone aaretz Domini terrae Gen.* XLII. 30, sic alibi saepe *Adonim Domini* de unico

(1) Vide Lexica hebr. ad v. *Baal.*

homine dicitur; hinc res ipsae sensu expertes a singulari aliqua praestantia commendatae plurali appellatione donabantur, *Iammim maria* pro mari, mons Sion *montes sanctitatis* audiebat, *sepulchra* pro singulari sepulchro, et cetera, quae enarrata vide in Grammaticis Hebraicis, praesertim in illa Iohannis Iahn §. 24. n.° 5. et in Wilhelmi Gesenii *Lehrgebäude der Hebr. Sprache* §. 171. Non ergo abhorret ab orientalium consuetudine pluralis titulus *Regum* de unico qui sceptra teneat usurpatus. Praeter hunc Papyri locum, in quo τοῖς βασιλεῦσι unus innuitur Evergetes, aliud habeo insigne exemplum in pag. 6. lin. 13. Ibi enim munificentia τῶν μεγίστων βασιλέων condonati dicuntur reatus omnes usque ad diem XIX. Thoyth anni LIII; ergo decretum vel illa ipsa die, vel paullo post datum fuerat. Atqui unus regnabat Evergetes anno LIII. Quam pluralis numeri consuetudinem advertant velim Chronologi, ne, dum aliquo in monumento pluralem titulum legunt, aut societatem aliquam potentiae comminiscantur, aut tempora perperam turbent.

Lin. 29. Ταραχηι) Hunc tumultum exortum fuisse primo anno regni Epiphanis suaderet sequens annorum supputatio, qua a seditione computantur anni XXIV, seu integra summa annorum regni Epiphanis; sed valde dubitandum est, ne patrocinator faciliorem annorum calculum propositurus iudicibus a primo anni regno eam supputaverit seditionem, quae altero tantum aut tertio anno contigerit. Sane turbulentissima fuisse primordia regni Epiphanis discimus ex Inscriptione Rosettae, quae illum versatum perhibet ἐν τοῖς κατὰ τὴν ταραχὴν καιροῖς lin. 20, vide etiam Champollionium in *Chronologie des Lagides* tom. II. p. 101. sq.

Lin. 30. Αναλογιζομενων των χρονων) Insignis locus, atque ad rem chronologicam constituendam aptissimus. Epiphanis regno annos 24. assignat, quod inter omnes chronologos constabat. Philometori annos 35. attribuit, tum post 35um ait coepisse 25um Evergetis. Sed haec clariore in luce ponenda sunt. Exploratum est regum Aegyptiorum aliorumque vel nostrae aetatis annos duobus modis supputari potuisse. Vel chronologice et astronomice anni computabantur

a primo die adepti regni ad extremum emortualem. Vel civili ratione, qua primus regni annus constabat iis solis vel mensibus, vel diebus, qui a die initi regni intercedebant ad extremum anni astronomici diem, praeterea annus emortualis pro completo habebatur. Quare fac regem quempiam conscendisse thronum die 29. Mesori anni 32. alicuius aerae, atque e vivis excessisse die 3. Thoth anni 35. eiusdem aerae, ille dicendus erit chronologice regnasse duos annos, chronologi enim solent perpaucos dies, novem hac in specie, praetermittere; at secundum civilem rationem quartum iam computabat annum quum vita defunctus est, ita ut civilia instrumenta diei 2. Thoth anni 35. praesetulissent quartum regni annum. Hisce in antecessum constitutis, dico Dinonem supputaturum tempus absentiae Hermiae sequi debuisse primam, non alteram rationem; illam vero reapse secutum esse ita luculenter confirmo. Ait Φιλομητορος ετων λε̄, atqui Philometor civilem sui regni annum trigesimum sextum attigit; nam Antigraphum Grey exhibet annum Λϛ αθυρ ιη̄ (non vero κ̄, uti perperam legit Young) Philometoris, quae epocha plane consentit cum illa Demotici archetypi editi a Young in *Hieroglyphics*. Idem annus 36us, Choiac 9. occurrit in Registro eiusdem Antigraphi, tum annus 36us, Tubi 5. legitur in Registro Berolinensis Papyri. Tandem servatur in Regio hoc Museo Demoticus Papyrus, qui hunc Protocollum praesefert = *Anno* 36. *Pharmuthi* 18. *Regnante Ptolemaeo et Cleopatra eius sorore, filiis Ptolemaei et Cleopatrae Deorum Epiphanum, et Sacerdote Alexandri, Deorum Soterum, Deorum Adelphorum, Deorum Evergetum, Deorum Philopatorum, Deorum Epiphanum, Dei Eupatoris, Deorum Philometorum, et Athlophora Berenicis Evergetidis, et Canephora Arsinois Philadelphae, et Sacerdotissa Arsinois Philopatorae* = Prorsus ut appareat Philometorem mense Pharmuthi adhuc inter vivos fuisse. Dinon ergo, praetermisso civili anno 36to Philometoris, hunc annum Evergeti attribuit veluti 25um eius regni; ne si scripsisset Φιλομητορος ετων λϛ, iure reprehendi posset civili ratione usum bis supputasse eundem annum astronomicum.

Quamobrem dubitare nequimus annum Evergetis 25um fuisse annum 36um eumque emortualem Philometoris. Semel ac vero hoc constat, liquet etiam annum 12um Philometoris fuisse primum civilem annum regni Evergetis. Hanc chronologicam veritatem, qua primus Evergetis annus incidit in 12um Philometoris, iam demonstrare conatus fuerat Letronnius recte emendans corrupta Porphyrii et Eusebii loca (vide eum in *Recherches* p. 34. sq.); eadem evidentissime asseritur a Papyro Taurinensi.

Venio ad annum 54um, qui est in primo versu nostri Papyri. Veteres scriptores (vide in Champollion *Annales des Lagides* t. II. p. 134. sq.) magno consensu perhibent Evergetem post fratris mortem regnum tenuisse an. 29, ac summam regnorum utrorumque fratrum conficere annos 64. Iam, quum constet Evergetem anno fratris emortuali egisse annum 25um sui regni, tum attigisse 54um, dicendum est, laudatos scriptores ita chronologice supputasse annos, ut annis 35. Philometoris addiderint annos 29. Evergetis, quippequi annum 54. Evergetis, emortualem huiusce regis, statuebant esse primum annum Soteris. Interea animadvertere licet Evergetem, qui regnare coeperat anno 12. Philometoris, fere ac si sui regni possessio numquam fuisset intermissa usque ad fratris mortem, annos ita computasse, ut cum fratre semper regnasse videatur. Tamen constat inter utrosque fratres primum simultates intercessisse, deinde bellum exarsisse, in quo victus Evergetes ineunte anno septimo sui regni societate regiae potentiae privatus in Cyrenaicam fuit ablegatus. Quam iniuriam tum ipse Romam petens, tum per amicos haud destitit conqueri, summaque ope niti ad regnum recuperandum, suo tamen voto frustratus rediit. Quare regnum iugiter affectans, seque vel in Cyrenaica provincia regem existimans, ipsum annum Philometoris emortualem iussit esse 25um sui regni, quum septimus, vel octavus esset. Nullus tamen nec est, neque erit, Papyrus, qui datus post cladem Evergetis referat in *Protocollo*, uti aiunt, Evergetis annos cum illis Philometoris coniunctos. Quae de anno 54. Evergetis hucusque disputavi novum addunt firmamentum iis, quae docte et acute

constituerat Vir de Ptolemaeorum Chronologia optime meritus Champollionius Figeac (1); in eo tantum me habet dissentientem, quod ipse primum Evergetis annum incidisse existimat in annum undecimum Philometoris; tantillum errorem eo lubentius adnotavi, ut totius operis pretium luculentius appareat.

Lin. 36. Κρατησεως μηδε κυριειας) Obvia est inter utrumque nomen distinctio; *κράτησις* est *occupatio*, *possessio*, seu, ut aiunt, *ius in re*; *κυριεια* *dominium*, seu *ius ad rem.* Porro quum per annos octoginta octo neque pater neque filius domicilium habuerint in urbe Diospolis, nullumque dominium exercuerint in propriis bonis (si qua tamen erant) iure a possessoribus usucapiuntur universi fundi, neque ullum superest Hermiae ius sive in re, sive ad rem.

Lin. 37. Εγγαιου) Quod alii ἔγγειον scribunt, notat quidquid vel in solo natum est, vel ei infixum haeret, uno verbo *immobilia* bona designantur; vide Reiskium in *Ind. Graecit. Demosth.* ad v.

Ad Paginam 6.

Lin. 2. Διαγραφην) Vocem διαγραφὴν diligentissime enarrare aggredior, ut non tantum huic Papyri loco lucem affundam, verum etiam Graecis Papyrorum Demoticorum Registris, in quibus sollemnis illa formula κατὰ διαγραφὴν occurrit.

Primum omnium ex contextu loci, quem expendo, luculentissime patet, διαγραφὴν fuisse publicum scriptum, seu instrumentum (gallice *acte public*) quod acquisiti dominii fidem faciebat; Hermias enim dicitur nullam in medium protulisse μητε διαγραφην, μητ αλλην κτησιν, qua suum legitimum dominium demonstraret. Pertinebat ergo διαγραφὴ ad genus τῶν κτήσεων, seu documentorum, quibus possessionis ius demonstrabatur, eoque emptor uti poterat tamquam acquisitionis titulo. Quare, omissis ceteris vocabuli significationibus,

(1) *Annales des Lagides* tom. II. p. 134. sq. et *Notice sur un Papyrus Grec* in *Bulletin Universel des Sciences* VII. section. Iuin 1824. num. 387.

eas tantum proferam atque enarrabo, quae cum legitimo hoc praeiudicio publici instrumenti coniunctae sunt.

Suidam audiamus: *Διάγραμμα. τὸ ταττόμενον ἐν ταῖς συμμορίαις ἀπόσον ἕκαστον εἰσφέρειν δεῖ . . . Διαγραφεὺς μέντοι ἐστὶν ὁ καθιστάμενος ἐν ταῖς συμμορίαις ἐπὶ τῷ διακρῖναι πόσον ἕκαστος εἰσενεγκεῖν ὠφείλει . . . Τὸ ἑκάστῳ ἐπιγραφόμενον ἀργύριον διάγραμμα καλεῖται*, nempe *Διάγραμμα dicebatur id quod classibus (solvendum) praestitutum erat, quota scilicet pars ab unoquoque conferenda esset . . . . Διαγραφεὺς appellabatur qui in classibus constitutus erat, ut decerneret quantum quisque conferre deberet . . . . Pecuniae summa cuique inscriptae in tabulis appellabatur διάγραμμα.* Paria habet ad v. *Διαγραφεὺς*, iisdemque fere verbis Harpocration vocem *Διάγραμμα* interpretatur. Hisce concinit Anonymus Auctor *Λέξεων Ῥητορικῶν* in *Anecd. Graec. Emm. Bekkeri* vol. I. p. 236. *Διαγραφεὺς τί ἐστι; διαγραφεὺς ἐστὶν ὁ μερίζων ἑκάστῳ τῶν ἀπὸ τῆς συμμορίας τὴν προσήκουσαν εἰσφορὰν, ἣν ἔδει εἰσφέρειν, Quid est διαγραφεύς? Ille est qui cuique classis socio partitur atque assignat partem quam solvere debet.* Consule etiam Böckhium *Die Staatshaushaltung der Athener* tom. I. p. 169, et Schomannum *de Comitiis Atheniensium* p. 290. sq. Quae quum ita sint, omissis ideis *τῶν συμμοριῶν*, et *τῆς εἰσφορᾶς*, quae peculiaria erant Atheniensium instituta, haec generatim constituo: *Διαγραφεὺς* dicitur publicus officialis, qui pecuniam a multis civibus simul sumptis solvendam distribuebat in capita singula, ut quisque virilem sui partem cognosceret: *Διάγραμμα* erat ipsa rata pars in capita quaeque distributa: ergo *Διαγραφὴ*, uti equidem coniicio, erat calculus, quem officialis inibat, tum virilis cuiusque partis inscriptio et relatio in tabulas.

Sed alia est vocis notatio quam graeci Trapezitae in primis frequentabant. Ita enim Hesychius: *Παραγράψαι. ὃ ἡμεῖς λέγομεν διαγράψαι, καὶ τὸ ἐκ τραπέζης λαβόντα διὰ γραμμάτων τοῦ τραπεζίτου πιστώσασθαι.* Suidas *Διαγράψαντος. τινὲς μὲν ἀντὶ τοῦ καταβαλόντος καὶ καταθέντος· ἔνιοι δὲ ἀντὶ τοῦ διὰ τραπέζης ἀριθμήσαντος, ὡς λέγομεν ἐν τῇ συνηθείᾳ.* Gemina habet Harpocration ad v. *διαγράψαντος*. Quam

numerandae pecuniae rationem ita illustrat Salmasius *de Usuris* p. 513. *Qui pecuniam solvebat creditoribus suis, aut qui etiam aliis foenore collocabant, vel eam ex arca sua sumere solebant, vel ex mensa nummularii, quae ibi deposita servabatur aut foenore collocata, vel etiam, si versura vellent solvere, sub usuris a mensario tum demum accipienda. Idque sic exprimebatur in chirographo, utrum ex arca, an ex scriptura mensae data ac numerata esset. Quae scriptura mensae nihil aliud erat, quam numeratio pecuniae per mensarium facta.* Vide Polybium XXXII. 13. 7. ibique notam Reiskii. Sed διαγράψαι non tantum erat *pecuniam numerare ex mensa trapezitae*, verum etiam *pecuniam numerare trapezitae*, vel generatim *numerare pecuniam*, vide *Esther* III. 9. et II. *Macch.* IV. 9.

Abstineo a ceteris vocum διαγραφὴ et διαγραφεὺς significationibus, quae cum nostro contextu haud cohaerent. Iam vero ex duabus hucusque enarratis aio alteram neutiquam aptari posse Papyris graecis, quare priori adhaerendum esse.

Quid enim? Fac τὴν διαγραφὴν esse numerationem pecuniae a trapezita solutae. Quum graeca Registra multo sint epochâ posteriora contractibus, quibus subiiciuntur, quandoque enim unus aut alter mensis, quandoque plures menses atque integer fere annus intercedebat inter contractum, ac registrum; sequeretur contrahentes consuevisse syngrapham scribere, tum multos post menses a stipulato instrumento tandem aliquando numerasse pecuniam apud trapezitam. Quod in moribus positum fuisse apud nationem omnium accuratissimam vix credere possum. Deinde refragatur Antigraphum Grey. In eo enim descripto die XVIII. mensis Athyr venditor profitetur lin. 25. se pretium fundi ab emptore recepisse, inquiens ἔχω αὐτῶν παρὰ σοῦ τὴν τιμὴν, κοὐθὲν σοι ἐγκαλῶ περὶ αὐτῶν. Atqui contractui attexitur registrum κατὰ διαγραφὴν Ἀσκληπιάδου καὶ Ζμίνιος τελωνῶν; ergo emptor bis numerasset pecuniam tum in ipsa contractus stipulatione, tum post unum mensem apud trapezitam numerantibus Asclepiade et Zminio; quod fidem excedit. Tandem, uti evici ad lin. 18. pag. superioris, graeca Registra praecipiebantur

a legibus; iam quum formula κατὰ τὴν διαγραφὴν ad substantiam pertineat registrorum, sequeretur leges praecepisse, ut omnibus in contractibus pecunia numeraretur a Trapezita, vel coram Trapezita. Quorsum vero hoc leges iussissent? Tantae ne molis erat atque intricatissimi calculi numeratio pecuniae, ut privati ea defungi haud possent? — Inquies, ut praecaveretur exceptio de non numerata pecunia — Atqui praecaveri poterat unica addita phrasi contractibus, immo consultum ivit Antigraphum Grey illis verbis ἔχω αὐτῶν παρὰ σοῦ τὴν τιμὰν *pretium accepi a te*. Confeci, ni fallor, τὴν διαγραφὴν in Registris haud notasse numerationem pecuniae; simulque evici eandem vocis potestatem accommodari neutiquam posse Papyri loco, quem expendo.

Iam aio, si τῆς διαγραφῆς nomine intelligamus partitionem pecuniae impositae ac persolvendae, omnia secum optime cohaerere.

Enimvero fundi omnes in Aegypto tributum pendebant, quod pro varia ipsorum qualitate gravius leviusve indicebatur, uti supra demonstravi, resque ipsa per se loquitur. Praeterea fundorum dominia maxime divisa ac distributa erant inter multos cives, ut saepe minima vel agri vel domus portio venum iret. Nam ex decem cubitis inculti soli venduntur septem cum dimidio (vide supra p. 5. lin. 9.), deinde reliqui duo cum dimidio (ib. lin. 13.); unius domus quarta tantum pars divenditur (ib. lin. 18.); in Antigrapho Grey *dimidium tertiae partis collectae* venum it; in Papyro Anastasy cubitus unus cum quadrante distractus a maiore fundo venalis proponitur. In minima ergo segmenta fundi dividebantur apud Aegyptios, quod evincit soli dominium maxime inter omnes divisum fuisse. Iam vero nonne hisce in distractionibus necesse erat, ut publica auctoritas intercederet, quae suum cuique segmento tributum definiret, illudque pro varia fundorum venalium qualitate? Nonne nova tributi in varia capita partitio referenda erat in tabulas publicas? Quasnam vero tabulas excogitabimus, aut quam auctoritatem, nisi illam Trapezitae? Hic tributa redemerat, eaque a privatis percipere debebat; privati pro rata parte fundi empti pendere

debebant, emptiones nisi ope contractuum innotescebant ac recte aestimabantur. Atqui *διαγραφὴ* erat pecuniae in varia capita partitio, ac partitionis inscriptio in tabulas. Optime ergo haec vocis notatio congruit cum Registris. Quod ut luculentius pateat, explicatos dabo primos versus Graeci Registri Antigraphi Grey: Ετους λ̄ς̄ χοιαχ θ̄ τετακται επι την εν Διοσπολει τηι μεγαληι τραπεζαν, εφ ης Λυσιμαχος εικοστης εγκυκλιου, κατα διαγραφην Ασκληπιαδου και Ζμινιος τελωνων, υφ ην υπογραφει Πτολεμαιος ο αντιγραφευς . . . . τελος εικοστης N. N. Λυσιμαχος τ̄ρ̄ « Anno XXXVI. die IX. Choiach, tributum « vigesimae (sequitur ignorabilis sigla numerica, quae pecuniae sum- « mam notabat) relatum fuit in registrum apud Mensam in urbe « Diospolis Magnae, cui (mensae) praeest Lysimachus Redemptor « annuae vigesimae, secundum partitionem (tributi) peractam ab « Asclepiade et Zminio telonearis, cui (partitioni) subscribit Pto- « lemaeus censor (gallice *Controlleur*) etc. etc.

« Lysimachus Trapezita. »

Iam ut ad propositum Papyri locum revertar, aio ibi etiam *τὴν διαγραφὴν* suam significationem tueri. Fac enim possessorem amisisse contractum emptionis, interea ob litem sibi illatam debuisse sui dominii documenta in iudicium proferre; saltem hic proferebat *τὴν διαγραφὴν*, seu partitionem tributi, quae emptionis causa a Trapezita facta fuerat, et in registrum relata. Hoc vero testimonium a publicis tabulis Trapezitae depromptum publica etiam auctoritate communiebatur, fidemque faciebat, et quodammodo amissam emptionis syngrapham supplebat. (Quare Hesychius *Διαγραφαί. αἱ συνθῆκαι*, et Etymologicon M. *Διαγραφή. ἡ συνθήκη*, quatenus registrum est certissimum *contractus* argumentum). Recte proinde Cholchytae obiiciebant Hermiae, adeo commentitium esse ipsius ius in controversam domum, ut rogatus in medium proferre possessionis documenta haud potuerit ne *τὴν διαγραφὴν* quidem, aliudve possessionis tenue (publicum tamen) signum edere. Dixi possessores, aliosve potuisse a publicis Trapezitae tabulis depromere apographum Registri (gallice *Certificat*, vel *Copie d'Enrégistrement*); hoc adeo

verum est, ut Papyrus a Buttmanno editus (1) nihil sit, nisi Registri apographum. Solitarius enim est papyrus, neque ulli contractui attexitur; idem Registrum exhibet, quod habent Antigraphum Grey et Demoticus Papyrus Parisiensis; unica tantum haec linea additur Απολλωνιος ο προς τωι γραφιωι του Περιθηβας μετειληφα εις αναγραφην Lλς̄ τυβι ε̄. Iam quando hucusque Registrum Trapeziticum exposui, iuvat etiam hanc lineam fuse enarrare, quippequae novum Registri genus, quod Graphicum appellabo, nobis prodit; ita unica adnotatione utrumque Registrum illustratum dabo, tandem in causas horum Registrorum inquiram.

Sunt in R. Museo Aegyptio-Parisiensi duo Papyri Graeci V. et VI, qui unam eamdemque, diversa tamen manu scriptam, Epistolam exhibent Panisci ad Ptolemaeum datam die XIII. Tybi anni XXXVI. Philometoris, uti inferius demonstrabo. A Panisco quaesierat Ptolemaeus, ut sibi renunciaret την γινομενην οικονομιαν υπερ των εν τωι Περιθηβας τιθεμενων Αιγυπτιων συναλλαγματων, και ει, καθαπερ επεσταλτο υπ Αριστωνος . . . υπογραφονται, και απο τινος χρονου το προκειμενον συνεστηκεν *qua ratione ipse se gereret circa Aegyptios contractus in Peri-Thebis positos, et si, quemadmodum per Aristonem iussum fuerat, contractus subscriberentur; tum ex quo tempore iniunctum munus exsequi coepisset.* Paniscus respondet, se suosque collegas ita se gerere, uti Ariston praeceperat, scilicet contractuum sibi oblatorum imaginem delineare (εικονιζειν), τους τε συνηλλαχοτας, και ην πεποηνται οικονομιαν, και τα ονοματα αυτων πατροθεν εντασσειν, και υπογραφειν ημας εντεταχεναι εις χρηματισμον, *in hanc imaginem, seu descriptionem, inseri contrahentes, contractus summam*, et contrahentium *nomina ex paterno genere designatorum, tandem nostra subscriptione testari contractum insertum esse in Officii tabulas.* Addit etiam in eadem descriptione notari utramque epocham, tum illam contractus, tum illam subscriptionis. Ceterum se a die IX. mensis Choiac exsequi coepisse eiusmodi

(1) Erklärung der griechiscen beischrift auf einem ägyptischen Papyrus. Berlin 1824.

legem. Atque haec Paniscus; ex quibus nonnulla inferre iure posse videor:

1.° Dubitari nequit, quin haec lex a Ptolemaeis rogata fuerit, atque ab Aristone fortasse privato principis scriba significata Ptolemaeo, qui Epistrategi, vel Strategi Thebaidis munere, uti probabile fit, fungebatur. Porro Ptolemaeus hoc registrum demandaverat Panisco, qui vicaria opera minorum scribarum utebatur.

2.° Plerique Papyri Graeci hucusque inventi ad Philometoris, vel Evergetis aetatem pertinent; quare annus XXXVI. de alterutro horum Ptolemaeorum intelligendus est, nisi eum ad Soteris, vel Philadelphi regnum referamus. Sed annum XXXVI. illum esse Philometoris maxime suadet Registrum Berolinense mox laudandum.

3.° Eiusmodi lex intelligi nequit de syngraphis Aegyptiis, seu Demoticis, in Trapeziticum Registrum referendis. Nam sunt Demotici Papyri anno XXXVI. Philometoris superiores, qui graecum registrum Trapeziticum praeseferunt; sic Demotici contractus Grey A. B. C, quorum registra edidit Young in *Account* p. 149. sq. quibus adde Demoticum anni XXXV. Mesore Philometoris a Papyro nostro I. commemoratum pag. 5. lin. 14. Trapezitico registro certe communitum. Praeterea registrum mensae eo potissimum spectabat, ut tributi quantitas definiretur, simulque novus dominus, a quo tributum esset exigendum, innotesceret Trapezitae, debuisset ergo Ariston mentionem tributi iniicere; atqui illud silentio praetermisit.

Quae quum ita sint, persuasum habeo non Trapeziticum, sed alius generis registrum a Philometore praeceptum fuisse. Scilicet ex nova lege contractus omnes Aegyptii, seu Demotici a tabellionibus Aegyptiis ad vetus institutum exarati, erant offerendi peculiari regis administro, qui illos suis in tabulis, suaque subscriptione confirmaret testans sibi data die oblatos fuisse. Quod adeo verum est, ut quinque huiusce subscriptionis exempla referre possim ex Papyris hucusque cognitis.

Primum omnium commemorabo Demoticum Papyrum XX. Musei

Taurinensis. Contractus scriptus est die 28. Mesore, anno 44. Evergetis II. Contractum consequitur Registrum Trapeziticum ad consuetam formulam digestum ac subscriptum ab Asclepio Trapezita eodem anno 44. die tertia epagomena Mesore. Trapezitico registro hanc adnotationem subiecit alia graeca manus: Απολλωνιος ο προς τωι γρ κεχρ Lμδ μεσορη επαγομενωι β̄. *Ego Apollonius praefectus Graphio officii munus peregi* (scilicet κεχρηματικα) *anno XLIV. Mesore die altera epagomena*. Hoc ergo Registrum a Trapezitico differebat tum formula, tum epocha, nec non signatoris nomine, et amanuensis manu. Iam quum hoc officium τὸ Γραφίον appelletur, deinceps registrum eiusmodi nuncupabo *Graphicum*.

Sed verbum paullo obscurius κεχρηματικα luculentissime declaratur a Registro Berolinensi edito a Buttmanno *Erklärung der griechischen Beischrift Berlin* 1824. Demoticus contractus, ad quem hoc registrum pertinet, Parisiis asservatus scriptus est die 18. Athyr anni 36. Philometoris. Trapeziticum registrum exaravit Lysimachus eodem anno die 9. Choiac. Trapezitico alia graeca manus attexuit graphicum his verbis: Απολλωνιος ο προς τωι Γραφιωι του Περιθηβας μετειληφα εις αναγραφην Lλς τυβι ε *Ego Apollonius Praefectus Graphio Peri-Thebarum* (hunc contractum) *perscribendum accepi anno* 36. *Tybi* 5. Paria hic adnotes velim, formula, epocha, signatorum nomina, amanuensium manus, omnia differunt, ut plane alterum ab altero registro omnino distinguas oporteat. Praetermitto quae Buttmannus et Böckhius ad hoc registrum adnotarunt; etsi enim eruditione ac critica divinatione praestarent, tamen nequibant ex unica hac linea rei veritatem extundere.

Consonat fere Demoticus R. Musei Parisiensis, cuius epocham poenitet me non exscripsisse. Caret ille registro Trapezitico, habet tamen Graphicum: Σαραπιων μετειλ εις αναγρ Lις φαμενωθ κθ *Ego Sarapion accepi perscribendum anno* 16, *Phamenoth* 29.

Quartum vidi eodem in Museo Parisiensi. Demotica syngrapha data est die 10. Thoyth anni 45. utique Evergetis II. Registrum Trapeziticum desideratur; adest Graphicum Ηρωιδης αντιγρ μετειληφ

εις αναγρ Lμε Θωυθ ιγ *Ego Herodes exemplar accepi perscribendum anno 45. die 13. Thoyth.*

Postremum suppeditat Fragmentum Pap. Musei Taurinensis, quod contractus Demotici duas extremas lineas servat, quibus subditur Graphicum Ηρακλειδης μετειχ εις αναγρ. Lνγ Θωυθ ιε *Ego Heraclides perscribendum accepi anno 53, Thoyth 15.*

Nisi hae quinque subscriptiones sint illae ὑπογραφαὶ, quas ex epistola Panisci constat Demoticis syngraphis apponendas fuisse, equidem non video quo illae sint referendae. Sed audio quid dicant. Ex Demoticis contractibus, qui hucusque innotuerunt, vidimus vero supra triginta, vix quinque exempla profers. Ita ne regium iussum tam cito in desuetudinem abiisse? Aut Aegyptios Ptolemaicis legibus non paruisse? Litem lite resolvens repono. Quis inficias iverit Trapeziticum registrum generali etiam lege praeceptum fuisse? Nisi enim res ita se habeat, credemus ne Aegyptios animi causa, atque ut indulgerent genio visendi Trapezitam minoresque mensae scribas, homines nullo non tempore exosos, voluisse Demoticas suas syngraphas Trapezitae offerre? Par, inquam, lex Trapeziticum registrum constituerat. Atqui raros reperies contractus qui mensarii adnotationem praeseferant. In Museo Taurinensi tres tantum deprehendi; in R. Museo Parisiensi unicum vidi; in Berolinensi sex esse accepi ex litteris Cl. Buttmanni, quatuordecim vero qui careant; Eques Grey dives Aegyptiarum opum habet quatuor. Tamen ceteri contractus registro expertes ad Philometoris ac posteriorum regum annos pertinent, quibus illa lex iam obtinebat. Quamobrem ex raritate registrorum nihil inferri potest contra legis existentiam, sed alia causa quaerenda est; de qua antequam dicam iuvat nonnulla adnotare ad registri Graphici formulam.

1.° Vox γραφίον, uti a perpaucis scribitur, seu γραφεῖον, uti plerique scribere amant, notat *stilum*, seu calamum scriptorium. Metonymice τὰ γραφία, seu γραφεῖα a S. Ecclesiae Patribus appellantur sacrae Scripturae, seu verius libri hagiographi (vide Svicerum *Thesaur. Eccles.* ad v. et Didymum Alex. *de Trinitate* lib. II. cap. 7.

pag. 189. in nota 1, nec non Cotelerium ad S. Clementis *Epist.* I. *ad Corinthios* n.° 28. not. 5.) Hic vero τὸ γραφίον dicitur locus in quo οἱ γραφεῖς amanuenses suo defungebantur officio demotica instrumenta in tabulas referentes. Parem vocem, quae latissime patet, Galli sua civitate donantes dixerunt *le Greffe*.

2.° Huiusce officii princeps appellabatur ὁ πρὸς τῷ Γραφίῳ τοῦ Περιθήβας *Praefectus Graphio Peri-Thebarum*, ergo eius auctoritas ad universnm nomum pertinebat, adeoque quovis in nomo erat Praefectus Graphii.

3.° Verbum ἀναγράφω, teste Budeo *Comm. in L. Graec.* p. 583. notat *in acta refero*, quod Cicero *perscribo* dicere solet. Quare ἀναγραφὴ ib. p. 584. est *perscriptio*, *acta*, *commentarius*, *breviarium*, *liber census peracti*. Dubitari potest, utrum in tabulis Graphii universus contractus perscriberetur, an eius tantum summa paucis perstricta; hanc tamen alteram opinionem veluti probabiliorem suadet Papyrus X.

4.° Verba μετείληφα, μετεῖχον arguunt rem, quam quis ab alio communicatam accepit. Alio vocabulo κεχρ, seu κεχρηματικα, utitur Taurinensis XX. De nomine χρηματισμός dixi superius p. 92. sq.; iuvat hic addere, teste Schweighausero in *Indice ad Appian. Alexandr.* ad v. χρηματίζειν generatim notare *in rebus agendis versari*, *publico negotio vacare*, quare omnibus reipublicae muneribus aptari potest. Sic de Agoranomi officio usurpatum legi in Papyro III. R. Musei Parisiensis; nam posteaquam contractus frumenti mutuo dati stipulatus dicitur επι Διονυσιου Αγορανομου, *coram Dionysio Agoranomo*, haec subscriptio legitur Πτολεμαιος παρα Διονυσιου κεχ (scilicet κεχρηματικα) *Ego Ptolemaeus Dionysii vices gerens Agoranomi officio functus sum*; de idiotismo ὁ παρὰ τινὸς consule Lexica Veteris et Novi Testamenti.

5.° Adeo verum est Trapeziticum a Graphico Registro differre, ut in primo et altero exemplo a me allato utrumque adsit, atque alia graeca manus Trapeziticum, alia Graphicum exaraverit.

6.° Paniscus respondens ad Ptolemaei interrogata, a quo tempore

coepisset legem exequi in Peri-Thebarum nomo, ait se legem accepisse die I. Athyr, rem vero exequi coepisse die IX. Choiac. Quare statuerem nullum esse Papyrum Graphico munitum, qui hisce epochis anterior sit; vereor tamen, ne lex praeceperit etiam anterioribus contractibus Graphicum esse apponendum, si coram graeco tribunali essent producendi, vide me supra ad pag. 4. lin. 13.

Utrumque registrum Trapeziticum et Graphicum hucusque illustravi, iam in utriusque causam inquiram. Nisi enim ex legum cognitione ad legum causas assurgamus, atque adeo ad intimam historiae philosophiam, in vanissima rerum indagatione ineptimus. Inde etiam patebit, cur adeo infrequentes sint contractus Aegyptii registra praeseferentes.

Tabelliones apud Aegyptios erant Aegyptii viri, ac praesertim scribae alicui sacerdotum collegio addicti. Sic Antigraphum Grey veluti tabellio scripsit *Ωρος Φαβιτος ο παρα των ιερων του Αμονρασωνθηρ και των συνναων θεων μονογραφος* *Horus filius Phabis Monographus apud Sacerdotes Amonrasonther et Deorum, qui eodem in templo coluntur.* Opportune animadvertam, graecos voce *μονογραφος* appellasse tabellionem Aegyptium; nam Paniscus in laudata sua epistola ita quemvis Aegyptium contractum designat *το γεγραμμενον συναλλαγμα υπο του μονογραφου* *contractus a Monographo scriptus.* Praeterea Papyri Demotici editi a Young in *Hieroglyphics* p. 34. exarati fuerunt ab Erieo Scriba Sacerdotum Isidis; tum Demotica syngrapha ab eodem edita p. 35. scripta fuit a Phabi (ⲡϥⲉ) scriba Sacerdotum Amonrasonther. Ex Demoticis Taurinensibus nonnullos exaratos vidi a viris adscitis in Collegium sacerdotum alicuius numinis. Quae quum ita sint, ac tabellionis officium maximi sit in republica momenti, eius enim fidei iura civium sunt credita, hinc pendet legitima bonorum translatio, hinc tabulae censuales conficiuntur, inde opes subditorum arguuntur; putabimus ne Ptolemaeos hanc auctoritatem integram reliquisse sacris scribis? Atqui Ptolemaei gravissimam regii iuris partem permisissent sacerdotibus, sibique nova in novo principatu molituris male consuluissent, ac

perpetuo ignorassent Aegyptiorum contractus, atque adeo reipublicae statum. Praeterea quum obligationes sint iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei solvendae secundum nostrae civitatis iura, quorsum Ptolemaei leges rogassent de rebus, rerumque divisione et acquirendo dominio, quae sane potior est legislationis pars, si Aegyptius quisque clam rege contrahens impune poterat regia iussa de modis dominii transilire? Omnino Ptolemaeis satagendum erat, ut clandestina haec contrahendi facultas publicam in lucem extraheretur, eisque innotesceret quid privati factitarent. Ergo ne praefracte omnis auctoritas describendi syngraphas erat scribis aegyptiis deneganda? Imprudentissime fecissent; verendum enim erat, ne per summum regii interdicti contemptum, inveterata scribarum auctoritas eorumque gratia apud plebem tumultus excitaret. Potius providendum erat, ut veteri scribarum iuri frenum aliquod iniiceretur, simulque nova eaque facilior aperiretur via, quae sensim sine sensu Aegyptios volentes abduceret a scribis adhibendis; omnino vero curandum erat, ut contractus ex male fidis sacrorum collegiorum latebris in apertum educerentur. Porro omnibus sapientissime ac prudenter consultum iverunt Ptolemaei, duabus hisce rogatis legibus. Primo enim per speciem curandi rem Trapeziticam, simulque publicam, edixerunt contractus omnes Demoticos nullam fidem facturos esse apud graecos magistratus reique publicae ministros, nisi Trapezitae propositi fuissent in tabulas referendi, atque huiusce relationis testimonium praeseferrent graecum registrum Demoticae syngraphae appositum. Aiebant nulla alia ratione censuales tabulas recte confectas iri, maxime quum fundus aliquis in complures dominos dispertiretur; aequum esse, ut, venditoris nomine in tabulis deleto, illud emptoris sufficeretur; hinc multa praecaveri incommoda, quae in exigendis tributis facile oriri possent. Verum hac lege illae tantum syngraphae proponendae iubebantur Trapezitis, quae obligationes sisterent tributo obnoxias; ceterae adhuc Ptolemaeos latuissent. Quamobrem altera lex deinceps lata fuit, qua universae indiscriminatim

Aegyptiae syngraphae offerendae iubebantur Praefecto Graphii, qui illas suas in tabulas perscriberet, ac veluti perscriptionis argumentum apponeret Demotico autographo graecum registrum; secus, syngraphae nullo registro confirmatae nullam etiam meruissent fidem apud graecos magistratus ac regni administros (vide me supra ad pag. 4. lin. 13.); ceterum hac lege nihil derogari de iis quae circa Trapeziticum registrum iampridem constituta fuerant. Addebant, se multorum incommodorum experientia edoctos, ac reipublicae bono consulere volentes, duplex hoc registrum proponere omnino debuisse; vix esse quod dicerent, ita tarditatem afferri rebus agendis; sin vero id minus cuipiam libuisset, ac maturato opus fuisset, semper universis graecam viam patere, qua contractus stipularentur coram graeco Agoranomo, isti enim nullo praeterea registro indigebant, quippe in Agoranomi tabulas relati. Iam censebimus ne Aegyptios facile hisce legibus morem gessisse? Pertinacissime veteribus institutis scribarumque consuetudini adhaerentes aegre adibant graecos ministros; scilicet confidebant numquam fore, ut suae syngraphae coram Graecis iudicibus essent producendae. Perpauci tamen, seu quia molestias a venditoribus creatas iri sibi timebant, seu ut res sibi cautiores essent, contractus offerebant in tabulas describendos. Inter hos laudandus est Horus, qui p. 5. lin. 19. post commemoratas tres syngraphas Demoticas, continuo subdit eas Trapezitico registro munitas esse, quod item diligentissime advertit Heraclides Praefectus p. 9. lin. 13; neuter vero eiusmodi adiunctum tam anxia diligentia adnotasset, nisi id fecisset ad fidem auctoritatemque syngraphis conciliandam apud graecos iudices. Ceterum idem Horus silentio praetermisit Graphicum registrum, eo enim carebant suae syngraphae scriptae ante annum XXXVI. Philometoris. Hinc equidem repeto raritatem contractuum Demoticorum, qui graeca registra praeseferant; alii enim anteriores sunt ipsi legi, alii vero ab iis contrahentibus stipulati, qui sperabant numquam se causam dicturos esse de re, quam emebant. Inquies, saltem credibile fit, quoties pro re nata Aegyptiis producenda

fuissent instrumenta Demotica registris expertia, neque possent eorum auctoritate niti, gravia murmura exorta esse, eaque in scandala excessisse eo graviora, quo frequentiores erant inter Aegyptios qui sibi suisque syngraphis refragantem vim legis patiebantur. Video ob ingentem delinquentium numerum motus facile excitari potuisse, quos ut Ptolemaei praecaverent, simulque sartam legis auctoritatem servarent, aio consuevisse ex intervallo τὰ φιλάνθρωπα, seu indulgentias (vide me infra) promulgare, quibus cum alia peccata, tum hanc omissionem remitterent, seu potius reos in integrum restituerent.

Ad hunc fere modum existimo Ptolemaeos leges de registris rogasse, atque frequenti earum transgressioni consultum ivisse, ne iussa nimis odiosa evaderent plebi. Sed quisnam ex Ptolemaeis hasce leges sancivit? De altera nullum relinquit ambigendi locum Epistola Panisci, ex qua patet eam anno XXXVI. Philometoris die prima Athyr Thebis acceptam fuisse, die vero nona Choiac eiusdem anni registra Graphica frequentari coepisse. Primam ab eodem Philometore primis regni sui annis equidem repetendam esse existimaverim; neque enim ullum registrum hucusque vidi Philometoris aetati anterius. Quidquid tamen sit, multa enim registra adhuc me latent, numquam crediderim originem Trapezitici registri ultra Epiphanis regnum figi posse. Hinc discimus quantum cauti immo tardi fuerint Ptolemaei in legibus ferendis, quae Aegyptia instituta quadantenus impetere viderentur; namque Ptolemaei usque ad Epiphanis, fortasse etiam usque ad Philometoris aetatem iura sua posthabere maluerunt, ac subditorum contractus adeoque reipublicae statum ignorare, quam de scribarum auctoritate quidpiam detrahere, vel ipsi frenum aliquod iniicere.

Sed progressu temporis Aegyptii secum reputantes incerta nutare sua iura, quae Demoticis syngraphis utroque registro expertibus credita essent, duplex vero registrum molestissimum esse tedium, assuescere coeperunt graecis institutis de contractuum stipulatione, atque haud verebantur Agoranomum adire, qua de re dicam ad Pap. VIII.

Lin. 4. Την συγχωρησιν) Actum scilicet commemoratum p. 2. lin. 11, quo Lobais fidem fecerat Hermiae, sibi nullum ius in domum competere.

Lin. 7. Προσεπισκηψαμενοι) Ἐπισκήπτεσθαι (voce media) εἰς τινά, vel τινί, est *iniuriarum iudicium intendere in aliquem*, vide Budaeum *Comment. L. Graec.* p. 128. Ἐπισκήπτεσθαι ταῖς μαρτυρίαις est *testimonia falsi accusare*, vide eundem p. 127. Affine est ἐνεπισκήπτεσθαι, quod usurpatur de creditoribus, qui, publicatis cuiuspiam bonis, experiebantur contra populum, quemadmodum hodie experiuntur contra fiscum, vide *Etymologicon M.* ad v. Ἐγγύης καταβολήν, et Bekker *Anecd. Gr.* tom. I. p. 250. Apud Lysiam p. 156. 4, 158. 1. *ed. Reisk.* ἐπισκήπτεσθαι εἰς τινά, vel τινί, generatim est *de aliquo apud aliquem iudicem queri*; apud Isaeum *opponere actioni alterius, actionem falsi instruere, insimulare aliquem mendacii*, vide Reiskium *Index Graec. Isaei* ad v.; par est verbi potestas apud Dinarchum p. 39. 7; plus semel apud Demosthenem notat *exceptionem falsi obmovere*. Generatim ergo asserere licet ἐπισκήπτεσθαι esse *actionem falsi instruere*; quare tum in hoc Papyri loco, tum infra lin. 26. recte dicitur de emptore, qui contra suum auctorem agit ex causa evictionis ab alio propositae, seu actionem falsae ac illegitimae venditionis instituit in auctorem.

Lin. 9. Εγδικησαντες) Praetermitto iuridicam notationem, quam Harpocration et Suidas ex Isaei loco assignant verbo ἐκδικεῖν, neque enim illa huc facit. Potestas *vindicandi* vulgatissima est apud scriptores omnes, etiam iuridicos (vide Budaeum *Comm. Ling. Gr.* p. 99.) tum apud LXX. Interpretes. Accusativus verbi ἐκδικεῖν notat sive illum a quo poena reposcitur, sive illum cuius patrocinium suscipitur. Sic I. *Macch.* VI 22. ἐκδικήσεις τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν *vindicabis fratres nostros* ipsorum causam patrocinaturus; *ib.* IX. 26. ἐξεδίκει αὐτοὺς *vindicabat illos* poenas ab eis reposcens. Quare hic verto *vindicantes causam Hermiae*, seu vindices Hori extitissent in causa ab Hermia perperam suscepta. Vide infra ad lin. 27.

Lin. 10. Λογον συνστησωνται) De hac phrasi dixi supra ad p. 4.

lin. 21. Ibi etiam dixi de βεβαιώσει, seu de *fideiussione*. Ceterum ordo instituendae ac peragendae litis, quem Dinon proponit, adeo consentaneus est naturae evictionis, ac fideiussionis, ut per se pateat, neque enarrationem mereatur.

Lin. 13. Ευθυδικιας) Budaeus *Comm. L. Gr.* p. 51. verbum εὐθυδικεῖν ita illustrat: *recta via pedem conferre cum actore, actionemque ipsam et intentionem plena recusatione propulsare, non exceptione aliqua reiectrice, aut iudicii declinatrice, aut alia translatione, experiundi iuris potestatem auferre certamenque detrectare*. Huic opponitur lin. seq. κακοικονομία.

Lin. 15. Συνπαιγμον) Derivatum lexicis ignotum, ei affine est ἐμπαιγμὸς in lexicis obvium.

Lin. 17. Κατα την μιαν) Syngrapha haec laudatur supra pag. 5. lin. 5. sq.

Lin. 19. Προσυποδεικνυς) Scilicet demonstrare contendit ordinem iudiciarium a se mox enarratum illum revera fuisse, quem Hermias in lite inferenda sequi debuisset.

Lin. 27. Εγδεδικηκεναι) Quum subiectum praecedentis infinitivi παραδεδωκεναι sit Αρμαιν, idem etiam videretur illud esse paris infinitivi εγδεδικηκεναι, nisi sequeretur incommodum απο της προτερον συνσταθεισης κρισεως Αρμαει, scribendum enim fuisset κρισεως εαυτωι. Quare in hac graecitate et syntaxi haud satis liquida verbum εγδεδικηκεναι passivo sensu interpretatus sum.

Lin. 31. Της αναγραφης) Quum patrocinator totus in eo sit, ut refellat paritatem, quam Hermias intercedere contendebat inter hanc causam, et illam a se susceptam contra Armaium; nunc discrimen ostendit in τῇ ἀναγραφῇ. Dixerat enim Hermias p. 4. lin. 8. scribas cum pagi tum loci testatos esse περι του αναγραφεσθαι την γην εις Ερμωνα Ερμιου τον παππον της Ερμιου μητρος, quare, quum lex *de Inscriptione* iuberet illi adiudicandum esse fundum, cuius nomini fundus inscriptus esset in tabulis publicis, merito sibi adiudicatos fuisse cubitos XX, quippequi inscribebantur nomini avi sui materni. Reponit porro Hori patrocinator, legem *de Inscriptione*

nedum pro Hermia facere, immo ipsum perimere; quum enim ipse Hermias in libello fassus sit Lobaim eiusque fratres domum verdidisse Horo eiusque gregalibus, aperte liquet eiusdem etiam Hori nomini domum inscriptam esse in tabulis publicis, ipsique adeo concedendam esse vi legis *de Inscriptione.*

Lin. 35. Εμβολην πεποιησθαι) Supple εἰς ἀγγεῖον, scilicet libellum iniecisse in vas a Chrematistis propositum, vide me ad p. 2. lin. 5.

Ad Paginam 7.

Lin. 3. Λαοκριτῶν) Hori responsum ita enarrandum videtur. Non coram Iudicibus Popularibus, seu Aegyptiis, haec causa instituta est, ut patriis legibus adhaerendum sit, sed coram Praefecto Graeco. Fingamus tamen Aegyptiis legibus standum esse, aio: quemadmodum meae syngraphae laborant omissione Στυριώσεως contra legum praescriptum, ita praeter easdem leges Hermias causam suscepit, quin se suamque cognationem Aegyptio more demonstraret, antequam actionem intenderet. Formulam omissam omissae formulae oppono. Iam si omissionis gratia fit Hermiae in graeco tribunali causam dicenti, quid ni idem nolit mihi indulgere eas syngraphas afferenti, quae item formulae omissione laborant? Sed, quodcumque demum statuant patriae leges, haud moror; ament illae formulas, causa peroratur coram graeco iudice, qui, quemadmodum ab Hermia non requirit, ut se suamque genealogiam diligentissime profiteatur, ita Στυριῶσιν in syngraphis vel supervacaneam iudicat, vel licet omissam praesumit. Horus ergo tacite confitetur: 1.° syngraphas non ἐστυριωμένας improbari a patriis legibus; 2.° suas syngraphas στυριώσει non fuisse instructas. Eo etiam spectat generalis illa responsio, qua Horus paullo infra lin. 13. invocat indulgentiam αιτιων πασῶν *quarumcumque culparum* a Ptolemaeis promulgatam usque ad diem XIX. Thoyth anni LIII. De Στυριώσει dixi supra ad pag. 4 lin. 18; cetera ergo persequar, quae ex insigni hoc loco colligi possunt.

Atque in primis duo iudiciales ordines, ac duplex ius luculentissime innuuntur, alterum Graecum, Aegyptium alterum. Graecum ius ex universo Papyro nullo negotio aestimari potest, ad Graecum enim ordinem fuit haec lis suscepta ac definita. De Aegyptio haec certo constitui possunt.

1.° Causa non apud Praefectum Nomi, aliosve graecos magistratus, dicebatur, sed apud Λαοκριτὰς, seu *Iudices Populares*, utique Aegyptios, quos ideo fuisse hoc nomine donatos autumor, quia de solis privatorum iuribus cognoscebant, adeoque populum iudicabant. Si enim praeter iura privatorum in quaestionem etiam venisset regia res, vel ius aliquod publicum, existimo Ptolemaeorum fiscum haud passum fuisse causam dici apud Λαοκριτάς. Quum ergo solam plebem Aegyptiam iudicarent in causis a publico regioque iure secretis, Λαοκριταὶ seu *populi iudices* audiebant.

2.° Qui apud Λαοκριτὰς iudicio contendebat, debebat ius Aegyptium sequi; ait enim Horus *ει και επι Λαοκριτων διεκρινοντο καθ ους παρεκειτο νομους: si causa apud Iudices Populares diceretur ad praescriptum legum commemoratarum.* Facile etiam praesensum est Aegyptio homini apud Iudicem Aegyptium litiganti standum esse legibus Aegyptiis.

3.° Aegyptiae vero leges iubebant actorem, antequam supplici libello litem exponeret Iudici, se, suosque parentes, patrem scilicet et matrem profiteri, immo productis testimoniis demonstrare. Papyrus enim utitur verbo ἐπιδεικνύειν, quod aliis in locis sollemne est, ad ea, quae per argumenta demonstrantur, designanda. Eiusmodi vero demonstratio concipi nequit, nisi tabulas publicas fuisse credamus, in quibus singulorum civium nomen atque uterque parens adnotaretur. Ceterum Aegyptios ex materno etiam genere designatos voluisse cives suos satis constat. Sed quum Papyrus addat *και ως οι γονεις αυτου εισιν ων προφερονται συγγενων eiusque parentes ex illa, quam dixit cognatione descendere* facile quis suspicari posset, Aegyptias leges postulare praeterea professionem avorum cum paternorum, tum maternorum. Quamvis vero Aegyptios credam

maximé formulis delectatos esse, ac minima quaedam accuratissime consectatos, quod evincunt Aegyptia instrumenta, maxime vero Antigraphum Eq. Grey; tamen professionem avorum ideo existimo a Papyro commemoratam esse, quia Hermianae controversiae natura eam flagitabat. Hermias enim demonstraturus controversam domum esse suam, huic uni argumento innitebatur illam esse possessionem avitam (pag. 1. lin. 22.) quin ulla emptionis instrumenta produceret; suos ergo avos profiteri debebat, tum evincere ab illis possessam fuisse. Profecto Hermias rectae huic viae institerat in causa contra Armaium. Demonstraverat enim fundum publicis in tabulis inscriptum fuisse Hermoni suo avo materno; iam, quum ante oblatum libellum suos etiam avos professus fuisset, adversarius continuo causa cecidit. Haud ergo existimo Aegyptias leges ab actore postulasse professionem avorum, nisi quoties longi temporis possessio demonstranda esset.

4.° Hermiae suos parentes avosque professo iam licebat actionem edere, seu supplicem libellum offerre Populi Iudicibus; quare Iudices antea nequibant iudicium dare, quam petitor suum genus declarasset. Porro in libello posteaquam suum ius in domum argumentis demonstrasset, petiisset ab adversariis, ut sua iura ederent; quod facile patet, atque omnibus iurisprudentiis commune est.

Iudicialem ordinem hucusque a me enarratum sequi debuisset Hermias, si apud Aegyptium Iudicem causam dixisset, sed diversae institit viae, quippequi in graeco foro Praefecti dicam intenderat. Iam quum duplex iudiciarius ordo existat, liquet etiam duplex admittendum esse legum corpus, duplicemque legislationem. Eo spectant illa Papyri verba ει και επι Λαοκριτων διεκρινοντο καθ ους παρεκειτο νομους *si apud Populi Iudices lis instituta fuisset ad praescriptum legum commemoratarum.* Commemoratae ergo leges, quae vim auctoritatemque tantum habuissent apud Aegyptios Λαοκριτάς, ad Aegyptiam legislationem pertinebant. Sed quae nam tandem erant? Prima illa est, qua instrumenta Στυριώσει haud munita omni auctoritate destituebantur in Aegyptio foro. Altera paullo ante indicata

τῆς ἀναγραφῆς eam tabulis publicis summam auctoritatem tribuebat, ut illi adiudicandus esset fundus controversus, cuius nomini inscriberetur in tabulis. Tantam fortasse fidem merebantur tabulae Pharaonum aetate, sed fortasse aliquid ipsis detractum voluerunt Ptolemaei, qui quum nova iura, nova acquirendi genera, novosque tabelliones creassent, merito fidem tabularum fidei instrumentorum posthabendam esse constituerunt, ne iura graecorum possessorum ab Aegyptiis tabulis unice penderent, atque incerta nutarent. Tertiam legem exponam infra ad lin. 13.

Iam quum ex tenui hoc Aegyptiarum legum specimine indubie constet, duplicem fuisse in Aegypto iurisprudentiam, ordinemque iudicialem, Aegyptium et Graecum, quemadmodum ad Papyrum IV. lin. 13. evincam duas fuisse rationes ineundorum contractuum, alteram Aegyptiam, Graecam alteram, paucis iuvat inquirere in causas disparis huius iuris. Qui attente recolat ea, quae in praefatione p. 5. dixi de Lagidarum imperio in duos populos omnino inter se difformes tributo, is facile mecum assentiet, hanc fere legem a Lago promulgatam fuisse: = Aegyptii antiquis legibus vivant, nisi secus de aliquibus iuribus caveamus; Graeci ea utentur legislatione, iisque iudicialibus ordinibus, ac magistratibus, qui a nobis erunt constituti; Aegyptiis tamen licebit graeco more, graecisque legibus vivere. = Ita se gesserunt barbari quotquot saeculo V. et sequentibus Italiam invaserunt; ut in veteribus chartis facile occurrant illae formulae, quibus quisque suam profitebatur legem, vel Romanam, vel Langobardam, vel Gallicam, cui se adoptaverat. Atque ita semper erga victos se geret populus, qui vi armisque late patentem atque incolis frequentem regionem invadat, in eaque consistere et cum victis tranquillam agere vitam velit. Uti enim aiebat ille, victos vel blandiri, vel perimere oportet. Atqui ferro flammisque omnia vastare, incolasque trucidare neque potest, neque vult, qui parva armatorum manu regionem aliquam occupaverit, quam incolere constituit; superest ergo, ut victos blandiatur multa ipsis ultro largiens, in primisque legislationem circa privata iudicia, aliaque, ex

quibus ius regium nihil detrimenti capiat. Progressu vero temporis, posteaquam auctoritate, armis, fortuna, consuetudine suum imperium confirmaverit, et memoriam antiquitatis deleverit, poterit tandem eam utriusque iuris temperationem sensim sine sensu inducere, quae leges toti imperio coaequet; qua in re multa etiam prudentia opus est. Ceterum imprudentissime fecissent Ptolemaei, si, vix occupato imperio, leges, iura, consuetudinesque Aegyptiorum dissolvissent, novamque iurisprudentiam conati fuissent armati obtrudere populo antiquorum morum tenacissimo; Alexandrinos quidem finitimosque Nomos habuissent dicto audientes, at maximum bellum, suadentibus potissimum Sacerdotibus, conflatum fuisset in Aegypto superiore, quod rem Ptolemaicam pessum dedisset. Hanc itaque fuisse causam censeo, cur Ptolemaei multa ex antiquis iuribus permiserint Aegyptiis, quae regio publicove iuri, aut graecorum commodis non adversarentur.

Lin. 9. *Κατα τους πολιτικους κ. τ. λ.*) Equidem *τους πολιτικους νομους* patrias leges esse credo, et *τὰ ψηφίσματα* Ptolemaeorum decreta; ita ut professio haereditatis, quam Horus commemorat, fuerit constituta a patriis seu Aegyptiis legibus, ac confirmata a Ptolemaeorum decretis. Qua vero ratione inter se distinguantur *οἱ πολιτικοὶ νόμοι*, et *οἱ τῆς χώρας νόμοι* (supra p. 4. lin. 17.) certo constitui nequit.

Lin. 10. *Την απαρχην*) Constat inter omnes, *τὰς ἀπαρχὰς* fuisse *primitias* fructuum, frugum, victimae, vel alterius cuiuscumque rei, quae Deo offerebantur; quod oblationis genus erat instar *sacri tributi*, quod non tantum in sacrificiis Diis consecrabatur, sed etiam a coloniis ad metropolim mittebatur, quemadmodum Polybius XXXI. 20. 11. narrat Chartaginienses Tyrum misisse *ἀπαρχὰς primitias* Diis patriis offerendas. Iam quum reges divinos honores affectantes iussissent sibi etiam offerri primitias, sic Persarum regibus data legimus *τρωκτὰ ὡραῖα καὶ τὰς ἄλλας ἀπαρχὰς τῶν ἐπιχωρίων Aelian. V. H. I.* 31. facile primitiae *tributum regium* evaserunt. Sed illud potissimum tributi genus designatur, quod ex aliqua re decerptum primitiarum instar haberi poterat; quemadmodum in hoc Papyri loco *ἀπαρχὴ* est

tributum, quod haeres haereditatem adiens pendebat regi, veluti primitias novi sui dominii, nosque dicimus *diritto di successione.* Iam, quum aetate Ptolemaeorum Aegyptii hanc potestatem vocis ἀπαρχὴ usurparent, uti probabile fit, mutuatam a Graecis, non erat cur in loco Thucydidis VI. 20. Συρακουσίοις δὲ καὶ ἀπὸ βαρβάρων τινῶν ἀπαρχὴ εἰσφέρεται *Syracusanis vero tributum etiam pendent nonnulli barbari*, editores continuo expungerent vocem ἀπαρχὴ veluti novitiam, aut inauditam, ac scriberent ἀπ' ἀρχῆς φέρεται. Quamquam vero lectio refingenda esset, hoc saltem evidentissime liquet, notionem *tributi*, quod primitiarum instar penderetur, adeo inhaesisse voci ἀπαρχῆς, ut amanuenses lectionem ἀπ' ἀρχῆς, facile, neque improbabiliter detorserint ad aliam ἀπαρχὴ εἰσφέρεται. Par mihi videtur vocis potestas in Dione Cassio lib. LXXII. n.° 16. καὶ τέλος ἐν τοῖς γενεθλίοις τοῖς ἑαυτοῦ, ἡμᾶς τε, καὶ τὰς γυναῖκας ἡμῶν, καὶ τοὺς παῖδας, δύο χρυσοῦς ἕκαστον, ὥσπερ τινὰ ἀπαρχὴν, κατ' ἔτος (ὁ Κόμμοδος) ἐκέλευσέν οἱ ἀποφέρειν *Commodus natali suo die a nobis, uxoribusque nostris, et liberis singulis binos aureos, tamquam tributum primitiarum, quotannis pendi sibi iussit.* Quae quum ita sint, patet τὰς ἀπαρχὰς plurali numero esse veras *primitias*, et τὴν ἀπαρχὴν singulari numero esse *tributum*, quod primitias quodammodo repraesentaret, seu primitias improprie dictas.

Ibid. Κληρονομιαν απογραψασθαι) Verbum ἀπογράψασθαι usurpari solet de iis, qui rei alicuius in publicis tabulis describendae indicem (vulgo inventarium) conficiunt, eamque apud fiscum vel tabellarium profitentur, vide Lexicon Polybii, Indices Graecitatis Demosthenis, Antiphontis, Isaei (apud Orat. Gr. ed. Reiske) ad v. Vide etiam *Iudic.* VIII. 14. III. *Macchab.* IV. 14. VI. 38. etc.

Lin. 11. Δραχμας μυριας) De Drachmis dicam ad Papyrum IV; inde etiam constabit hanc mulctam drachmarum X. millium regibus solvendam fuisse.

Lin. 12. Οικονομιας) Scilicet haereditatis administratio irrita erit; quidquid in administranda haereditate gesserat seu fructus annuos percipiens, seu bona divendens, omne irritum plane fuisset.

Lin. 13. Επιπορευεσθαι) Ita in Polybio IV. 9. 2. ἐπιπορεύεσθαι ἐπὶ τὸ πλῆθος est *ad multitudinem accedere*, populum adire rogandi causa. Sensus est: neque enim cuipiam licet res mortuorum, seu haereditatem adire, eamque administrare, quin primum omnia hucusque commemorata praestiterit.

Enarratis insignis huius loci verbis, legem ipsam exponam. Patriae leges Aegyptiae a Ptolemaeorum decretis confirmatae sanciverant, ut cives haereditatem sibi delatam adirent hoc modo. 1.° Genus cognationemque suam profitebantur, nomen suum, tum illud patris matrisque, et (si haereditas avorum adeunda esset) nomen avorum productis testimoniis demonstrantes; quo spectant ea verba τας αυτας επιδειξεις ποιησαμενον illas scilicet, quas supra lin. 4. commemoraverat. 2.° Tributum primitiarum ob haereditatem sibi delatam definiebant fisco solvendum. 3.° Haereditatis indicem, vulgo dicimus *inventarium*, conficiebant, sicque haereditatem ipsam publicis in tabulis inscribendam curabant. Sin, hisce posthabitis, confestim bona sibi delata adivissent, mulctabantur drachmarum (utique argenti) decem millium, et quidquid in administranda haereditate egissent irritum habebatur.

Ibid. Απολελυκοτων) Solebant quandoque reges publica suae humanitatis testimonia edituri civibus condonare debita, aut crimina. Praeclarum sane exemplum dedit Augustus, qui, ut habet Svetonius cap. 32. *tabulas veterum aerarii debitorum . . . exussit.* Sed quum, eversa Senatus auctoritate, Imperatores ipsi per se leges ferrent, solebant peculiaribus temporibus, uti diebus natalitiis, vel sollemni Paschatis die, quandoque etiam ob insignem victoriam, vel post barbaros ab Imperii finibus depulsos, tributorum reliqua, aut patratorum criminum poenas subditis indulgere, ne inopes provinciales, qui solvendo non erant, aut criminosi, perpetua anxietate cruciarentur. Codex Theodosianus multa Indulgentiarum exempla suppeditat sive in titulo *de Indulgentiis criminum* lib. IX. tit. 38. sive in alio *de Indulgentiis debitorum* lib. XI. tit. 28, quibus affinis est ille *de Abolitionibus* lib. IX. tit. 37. abolitio enim privatis unius

aut alterius civis postulationibus concedebatur, indulgentia vero universis civibus. Non minore, quam Romani Imperatores, humanitate excelluisse Lagidas colligimus ex hoc loco, qui decretum refert culpas omnes indulgens universis civibus usque ad diem XIX. Thoyth anni LIII; latum ergo fuit edictum desinente mense Thoyth, vel ineunte Paophi, namque non futurae sed praeteritae culpae remittuntur. Quod si verum est, constat etiam nomine των μεγιστων βασιλεων unicum Evergetem, qui eo anno solus regnabat, intelligendum esse; adeoque pluralem numerum *Reges* fuisse dignitatis gratia usurpatum ab Aegyptiis ad unicum regem designandum. Iam quum Evergetes culpas omnes indulsisset, emendavit etiam quidquid contra leges peccatum fuit in contractibus ad legitimas formulas non exactis, tum nutantia dominia confirmavit.

Lin. 17. Φιλανθρωπων) Domus dominium ratum atque assertum Horo fuit απο τε των αυτων φιλανθρωπων, και ετι κατα τα . . . προσταγματα περι των κεκρατηκοτων *tum ab iisdem Philanthropis, tum ab* (eorundem Regum) *decretis de possessoribus*, seu, uti mox ait lin. 21, απο των προσταγματων εξουσιας και φιλανθρωπιας. Dubio vacat haec φιλάνθρωπα fuisse paullo ante commemorata, ait enim απο των αυτων φιλανθρωπων *ab iisdem Philanthropis*; atqui Papyrus commemoravit edictum de Indulgentiis; restat ergo, ut huiusmodi decreta φιλάνθρωπα dicerentur. Quam coniecturam argumentis confirmare iuvat. Quas Latini *Indulgentias* vocabant, eas Graeci proprio vocabulo appellabant συγχωρήσεις. Sic in *Basilicis* lib. LX. est titulus 64. περὶ ἀβολιτιόνων καὶ περὶ γενικῆς συγχωρήσεως *de abolitionibus, et de generali indulgentia*, ibi vero indulgentia graece semper dicitur συγχώρησις. Iustinianus etiam Novellam ρμή. inscribit περὶ συγχωρήσεως λοιπάδων δημοσίων *de Indulgentia reliquorum publicorum*. Tandem Glossae habent Συγχώρησις *Concedentia, Concessio, Indulgentia*. Sed quum Indulgentia accepta esset referenda humanitati Imperatorum, tum Graeci causam cum effectu permutantes Indulgentiae nomen etiam fecerunt φιλανθρωπίαν. Sic Iustinianus in laudata Novella ρμή. cap. β'. ait τοὺς γὰρ ὑποτελεῖς ἐλεοῦντες, τῆς παρούσης

ἠξιώσαμεν φιλανθρωπίας *subiectorum enim miserti praesenti eos dignati sumus indulgentia*, tum mox οἱ μὲν ὀφείλοντες τὰ ἐλλείμματα, τῆς τούτων συγχωρήσεώς τε καὶ φιλανθρωπίας ἀξιωθέντες *debentes reliqua dignati sunt indulgentia et humanitate*, ut vocabula συγχώρησις et φιλανθρωπία veluti synonyma coniungantur. Vide etiam eiusdem Iustiniani Novellam ρμζ'. in qua vox φιλανθρωπία plus semel Indulgentiam notat. Quare Libanius in Βασιλικῷ *ad Constantium et Constantem* p. 108. *ed. Morel.* ἡ δεσμοτηρίων χρόνιος συμφορὰ φιλανθρωπίᾳ τοῦ κρατοῦντος ἐλύετο *diuturna carcerum calamitas indulgentia Imperatoris soluta fuit.* Et Gregorius Nyssenus *Orat.* 3. *de resurr. Christi* Paschalem indulgentiam commemorans ait: ὁ δοῦλος ἐλευθεροῦται τῷ ἀγαθῷ καὶ φιλανθρώπῳ τῆς ἐκκλησίας κηρύγματι *servus bono et indulgenti Ecclesiae edicto manumittitur.* Nonnulla etiam loca D. Chrysostomi laudare possem; sed monere praestat graecam vocem eodem in sensu Latinis probatam fuisse, sic in Codice Theodosiano tit. *de Indulgentiis criminum* Leg. 10. *indignus est humanitate qui post damnationem commisit in legem*, et leg. 6. indulgentia appellatur *liberalitatis Augustae humanitas*; ipsa etiam abolitio a Constantio dicta fuit *humanitas* l. 1. *de abolitionib.* Par est vocis potestas apud LXX. Interpretes, III. *Esdr.* VIII. 10. Artaxerxes ita suum exorditur decretum τὰ φιλάνθρωπα ἐγὼ κρίνας προσέταξα κ. τ. λ. *indulgentiae partes deligens constitui, ut qui vellent Ierosolymam redirent*, et II. *Macch.* IV. 11. Iason τὰ κείμενα τοῖς Ἰουδαίοις φιλάνθρωπα βασιλικὰ . . . . παρώσατο *abrogavit quidquid reges indulserant Iudaeis*, seu Indulgentiarum decreta Iudaeis concessa. Quae quum ita sint, persuasum habeo φιλανθρωπίαν lin. 21. esse *indulgentiam*, tum Ptolemaeorum edicta *de Indulgentiis* appellata fuisse φιλάνθρωπα. Apte in hunc locum quadrat haec vocis interpretatio; agitur enim de decreto, quo culpae universae civibus indultae fuerunt. Quadrat etiam in cetera Papyri loca. Sic p. 5. lin. 22. μερη εκ των περι των φιλανθρωπων προσταγματων *capitula ex edictis de Indulgentiis*, quibus cautum est, ut qui fundum possident, quin possint sui dominii syngraphas in medium proferre, ii legitime

possidere censeantur. Quae lex ita laudatur infra p. 9. lin. 21. *προσταγματος μερος του εκτεθεντος εν τωι κϛL περι των φιλανθρωπων περι των κεκρατηκοτων capitulum edicti anno XXVI. promulgati de Indulgentiis, quae possessoribus essent concedendae.* Nonne hae verae sunt indulgentiae? Hinc etiam apparet Philometorem anno XXVI. decretum de Indulgentiis edidisse, novum vero promulgasse Evergetem anno LIII, quare non rara fuisse eiusmodi edicta.

Lin. 20. Μηγουν και) Dubitari nequit quin potestas harum particularum sit *sed tantum*, inaudita tamen est. Eam conferrem cum *μὴ οὐ*, vel *μὴ οὐ καὶ*, vel etiam *μὴ καὶ nisi*, cuius exempla dabunt Vigerus eiusque adnotatores cap. VII. sect. XII.

Lin. 22. Περι δε των των προσθεμιων etc.) De hoc loco dixi supra ad pag. 4. lin. 31.

Lin. 24. Επερχομενοις) Intellige cives, qui post longam absentiam domum reversi suos fundos ab aliis occupatos evincere satagebant. Sane infra lin. 32. de Hermia dicitur *δια τοσουτων ετων επερχομενωι post tot annos Thebas redeunti.* Των αλλοτριων, ita haud satis accurate designantur bona ab aliis occupata.

Lin. 31. Αυτοις) Hermiae, eiusque patri.

Lin. 33. Υπογραφην) Constat *subscriptionem* apud latinos iurisprudentes notasse decretum, sententiam Principis; hic enim responsa saepe dabat suam sententiam subscribens libellis, quibus cives ipsum consulebant. Hunc morem frequentarunt etiam Aegyptii, quemadmodum apparet ex Papyro VI. in quo sententia Iudicum subscripta libello supplici legitur. Quare *ὑπογραφὴν subscriptionem* intelligo de *sententia* a Iudicibus lata, subscriptaque libello a Cholchytis oblato. Eadem *ὑπογραφὴ* commemoratur infra pag. 9. lin. 24, ex quo loco patet Hermiam diem dixisse Cholchytis, hos occurrisse ad vadimonium, Praefectum sententiam contra Hermiam tulisse, atque adeo Hermiam in hoc Papyro causam actam agere, sententiam tamen iam latam caute subterfugisse reticendo.

Ad Paginam 8.

Lin. 3. Αλλοτριον) Patrocinatorem totum in eo esse, ut refellat paritatem, quam Hermias intercedere contendit inter hanc causam, et illam a se institutam contra Armaium, monui supra ad pag. 6. lin. 31. atque ex hoc loco luculentius patet.

Lin. 8. Χρηματισμων) De his Rescriptis fuse dixi supra ad p. 2. lin. 5. et p. 4. lin. 22.

Lin. 10. Κεχωρισθαι) Sic Polybius XXXII. 9. 11. πολὺ κεχωρισμένος τῆς Ῥωμαϊκῆς αἱρέσεως *longe alienus a more institutoque Romano*, et Diodorus Sic. *Fragm.* lib. XXXI. (tom. X. p. 27. *ed. Bipont.*) πολὺ κεχωρισμένος τῆς τοιαύτης ῥᾳδιουργίας *longe alienus*, vel *abhorrens ab huiusmodi fraude.*

Lin. 12. Εμφανιστου) Ἐμφανίζω in sensu forensi dicitur de eo qui iudicem adit accusaturus aliquem. Sic in *Actib. Apostol.* XXIV. 1. οἵτινες ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τοῦ Παύλου *qui Praesidem adierunt Paulum accusaturi*, tum XXV. 2. 15. Quare nomen ἐμφανιστὴς erit *delator*, vide etiam infra lin. 32.

Lin. 15. Χολχυτας) De universo hoc loco supra ad p. 1. lin. 21. fuse disserui.

Lin. 19. Ηραιον) In praecipuo Thebarum templo Ammoni, uti apud omnes constat, sacro erat pars aliqua Ηραιον dicta, seu *Iunonis Sacrarium.* Sane Dea Sate Ammonis vel sponsa, vel socia, merito colebatur in eodem templo una cum Ammone.

Lin. 21. Κωμασιας) Κωμασίαι erant *pompae sacrae* apud Aegyptios. Clemens Alexandrinus *Stromat.* lib. V. pag. 671. *ed. Potter.* ἐν ταῖς καλουμέναις παρ' αὐτοῖς (Αἰγυπτίοις) κωμασίαις, τῶν θεῶν χρυσᾶ ἀγάλματα, δύο μὲν κύνας, ἕνα δὲ ἱέρακα, καὶ ἶβιν μίαν περιφέρουσι, *in iis quae ab ipsis (Aegyptiis) appellantur* κωμασίαι, *Deorum aureas imagines, duos quidem canes, unum accipitrem, et unam ibim circumferunt.* Alia loca vide apud Stürzium *de Dialecto Aegyptia* pag. 103. Quod nomen a κῶμος *comessatio*, *luxuriosum ac lascivum convivium* ducendum esse credet nemo, qui Aegyptiorum

honori paulo consulat. Equidem duxerim a *κώμη* *pagus*, *vicus*, *oppidum*, quod nomen sollemne erat apud Aegyptios ad designanda oppida Nomi (vide me infra ad Pap. VIII.); ita ut *κωμασία* fuerit praecipuum, ac sollemnius oppidi festum, adeoque proprie diceretur de ea sollemnitate ac pompa, quae ad honorem Dei prae ceteris numinibus culti aliquo in oppido celebrabatur, eique intererat universa *κώμη*.

Lin. 30. Διαληψεως) Διάληψις *consilium*, *institutum*, *propositum*; vide Schweighauseri *Lexic. Polybianum* ad v.

Lin. 31. Τωι Στρατηγωι) Qua ratione Hermias plus aequo ampliaverit auctoritatem, quae Stratego conceditur, colligi nequit ex universa causa. Superest ergo, ut coniiciamus, Hermiam, qui Dux erat praesidii Ombitici, litteras etiam sui Strategi produxisse, quibus res sua etiam atque etiam iudicibus commendaretur, iisque usum esse, ut adversarios concuteret; de Epistola probabiliter data a Stratego, vide me supra ad pag. 3. lin. 6.

Ad Paginam 9.

Lin. 25. Παρατεθειμενου) Cave, ne credas hunc genitivum coniungendum esse cum Πτολεμαιου. Est enim genitivus absolutus construendus cum sequenti συντεταχθαι, quod etiam articulo destitutum substantive accipiendum est, cuiusmodi infinitiva multa sunt in huius Papyri graecitate. Anceps haerebam, utrum το συντεταχθαι verterem *decretum*, *praeceptum fuisse*, an *convenisse*. Prima interpretatio veluti ratum poneret, Hermiam post Ptolemaei sententiam impetrasse regium aut Epistrategicum aliquod rescriptum, quod Cholchytis vetaret, ne domum affectarent; sed vix credere possum, Ptolemaeos eorumque Magistratus decretum de re controversa, immo definita ex sententia iudicis, edidisse, altera parte inaudita. Alteram ergo interpretationem amplexus sum, quae notat, nullum post Ptolemaei sententiam intercessisse pactum inter Hermiam et Horum, quod Cholchytis obesset.

Lin. 26. Κατακολουθησαντες) Polybius III. 33. 18. διὸ καὶ κατακολουθεῖν εἰλόμεθα τῇ γραφῇ ταύτῃ *itaque hanc scripturam sequi non dubitavimus.*

Ad Paginam 10.

Lin. 2. Εισβιαζεσθαι) In Daniele secundum LXX. Interpretes cap. XIII. v. 19. καὶ ἐξεβιάζοντο αὐτήν de senioribus, qui Susannam *vi occupare, comprehendere satagebant.*

PAPYRUS II.

Alt. 0,32, lat. 0,13, versuum 42.

Mutilus in fine, frequentibus lacunis scatens, lectu perquam difficilis.

Ηρακλε(ιδ)ει των αρχισωματοφυλακων
και ιππαρχηι επ ανδρων και πεσιτει περιθ
παρ Ερμιου του Πτολεμαιου των εξ Ομβων
ηγεμονων (η)δικημενος ου μετριως
και κινδυνευων των ιδιων στερηθηναι
υπο Ωρου (το)υ Ωρου και Χοννουπρεους
του Αραιησ(ιος και) Ψενχωσιος του Τεεφιβ(ιος και)
Πανατος (του Πε)χυτιος Χολχ(υ)των
και των συ(ν α)υτοις υπαρχοντων γαρ (μοι)
εν Διοσπολ(ει π)ρογονικων οικιων
ων και (των π)ρογονων μου κεκυριευ
κοτων εφ ο(σο)ν περιησαν χρονον
οι ενκα(λ)ουμενοι τ(η)ν κατοικιαν
(ε)χοντες ε(ν τ)οις Μεμνο(ν)ειοις
ετι (α)π αρ(χ)ης δια το μη συνχωρεισθαι
αυτοις εν τηι Διοσπολει οικειν
εν δε τηι των (και)ρων περι(στ)ασει
(κ)αταγνοντ(ε)ς επι τωι αλλ(ου) την

κατ(ο)ικια(ν με ε)χειν επελθοντες
(επι μιαν μου των) προγεγραμ
μενων οικιαν η εστιν εκ του
προς νοτον (και λιβα) της Διοσ
(πολ)εως α(πο βορ)ρα του δ(ρο)μου
της μεγιστης (θεας Η)ρας του αγον
τος επι ποταμον ης (τ)οιχοι ησαν
οικοδομημενοι οικοδο(μη)σαντες τα
καθειρημενα αυτης ενοικ(ουσιν α)ντιποιουμενοι
α(δι)κως υπερ ων μεταλα(βων) εν τωι $\overline{\mu}$ϛL
παραγενομενου μου εις την Διοσπολιν εισεδωκα
υπομνημα κατα των ει(ρημενων) και παραγγε
λεντος αυτοις ερχεσθαι εις το κριτηριον συν
(ιστορ)ουντες εαυτοις ουθεν βεβαιον εχουσι
εξεκλιναν ομοιως και εν τωι μθL του
Ερμιου επιβαλοντος εις την Διοσπολιν και περι
τα αυτων εντυχοντος μου και εκτ(οπ)ισαντων
αυτων συνεταξεν Ερμογενει τωι τωι
τατε αρχιφ̄ παραδουναι μοι την οικιαν
παραδουναι μοι την οικιαν χωρισθεντος
δε μου εις τον Ομβιτην (π)αλιν εισελθοντες
επι τηνδε την οικιαν ενοικουσι διο αξιω εαν
φαινηται συνταξαι καταστησαι τους ενκα
λουμενους εις κ(ρισιν ιν εα)ν παραδεικνυω

Cetera desunt.

VERSIO.

Heraclidi ex Ducibus Custodum regii corporis, Magistro Equitum stipendia merenti, et Spesiti Peri-Thebarum, Hermias filius Ptolemaei ex Ducibus Omborum.

Sum iniuria haud mediocri affectus, eoque propemodum adductus, ut possessionibus spolier ab Horo Hori filio, et Chonnopreo filio Arsiesis, et Psenchonsi filio Teephibi, et Panate filio Pechytis, Cholchytis, eorumque gregalibus. Enimvero quum mihi essent Diospoli avitae domus, quas maiores mei toto vitae suae tempore possederunt, citati domicilium iam a priscis temporibus habentes in Memnoniis, quia haud ipsis licebat in urbe Diospolis habitare, quum rescivissent me in tempestatum vicissitudinibus alibi domicilium habere, invadentes unam ex praedictis meis domibus sitam in parte Austro-Occidentali Diospolis, ad septentrionem cursus maximae Divae Iunonis, qui ducit ad flumen, cuius (domus) muri extructi perstabant, exaedificarunt quidquid in ea collapsum fuerat, eamque inhabitant sibi iniuste vindicantes. Quod ubi fama accepi, anno XLVI. quum Diospolim venissem, libellum dedi contra praedictos. Ad tribunal venire iussi sunt; at, quum probe sibi conscii essent omni plane iure destitui, vadimonium declinarunt. Similiter anno XLIX. quum Hermias Diospolim se contulisset, atque ego libellum hisce de rebus obtulissem, ipsi alio secesserunt; quare Hermias iussit Hermogenem, qui tunc erat Archi ...., mihi tradere domum. Posteaquam vero inde discessissem ad Nomum Ombitem, Cholchytae iterum domum hanc ingressi sunt, eamque inhabitant. Quae quum ita sint, peto, ut, si videbitur, iubeas citatos in iudicium venire; atque, si ostendero ....

ADNOTATIONES AD PAP. II.

Lin. 1. Ηρακλειδει) Eundem esse censeo, ac Heraclīdem Papyri I, uti dixi in adnot. ad Pap. I. p. 1. lin. 2.

Lin. 2. Ιππαρχει επ ανδρων) Esse magistrum equitum, qui non tantum honoris vocabulo decoraretur, sed revera stipendia faceret, monui ad Pap. I. p. 1. lin. 15. Hoc militare officium proximum fuisse a Stratego Praesidii dixi pag. 78. Opportune animadvertam hosce Magistratus Equitum constituisse ordinem seu cohortem aliquam, cui unus praeerat; nam Dionysius Praefectus Pathyriti in Pap. VII. Parisiensi dicitur *ο επι ταγματος Ιππαρχων επ ανδρων.*

Ibid. Σπεσιτει) Multum diusque haesi in hoc nomine legendo, neque in hac lectione, quam ceteris probabiliorem lineamenta litterarum suadent, conquiescere possum. Videant alii.

Lin. 4. Ηγεμονων) In Pap. I. p. 1. lin. 15. generatim suum militare munus exposuerat scribens *ηγεμονος επ ανδρων.*

Lin. 6. Ωρου) De his dixi ad Pap. I. p. 1. lin. 10.

Lin. 9. Υπαρχοντων) Haec iisdem fere verbis expressa leguntur in Pap. I. p. 1. lin. 22. sq.

Lin. 26. Οικοδομημενοι) Paullo secus habet Papyr. I. p. 1. lin. 29. *ης τοιχοι περιησαν cuius muri supererant.*

Lin. 28. Τωι μςL) Ita perspicue *anno XLVI*; in Papyr. I. p. 2. lin. 3. Hermias narrat Diospolim venisse *εν τωι μεL anno XLV.* Non est cur in tantilla varietate ex memoriae lapsu facile profecta immoremur; moneo tamen germanam lectionem esse *με*, hic enim annus iterato legitur in Papyro I. loc. cit. lin. 9.

Lin. 33. Τωι μθL) Hic Hermiae utique Strategi adventus in urbem Diospolim anno XLIX. nuspiam narratur in Papyro I. Inde colligo hunc libellum pertinere ad annum quinquagesimum Evergetis.

Lin. 36. Ερμογενει) Litterae *γενει* mihi quidem certae sunt; probabiles illae *μο*; at fateor syllabam *ερ* incertam esse.

Ibid. Τωι τωι) Alterum *τωι* incertum.

Lin. 37. Αρχιφ) Ita indubie. Quodnam officium, utique civile, intelligendum sit non auguror.

INDEX

NOMINUM PROPRIORUM.

INDEX

GRAECITATIS.

INDEX RERUM.

[illegible]dounts [illegible] [illegible]erve

PAPYRI GRAECI

REGII TAURINENSIS MUSEI AEGYPTII

EDITI ATQUE ILLUSTRATI

AB

AMEDEO PEYRON

Regiae Scientiarum Academiae Taurinensis Socio

PARS ALTERA

Excerpta ex Volumine XXXIII. Actorum R. Academiae, quibus titulus
Memorie della Reale Accademia di Torino.

TAURINI
EX TYPOGRAPHIA REGIA
1827

PAPYRUS III.

Alt. 0,32. lat. 0,124. versuum 51.

Lacunis scatens.

Βασιλει (Πτολε)μαιωι (και β)ασιλισσηι Κλεοπα
τραι τηι γυναικι θεοις Ευεργεταις χαιρειν,
Απολλωνιος ος και Ψεμμωνθης Ερμιου
του και Πετενεφωτου των απο Διοσπο
λεως της μεγαλης της Θηβαιδος μισθοφο
ρων (ι)ππεων. Αδικουμαι υπο Ψενχων
σιος, και Χονομπρεους των Τεεφιβιος,
και Αριτρεους, και Πεχυτου των Ωρου,
και Μεντεμητος, ου τον πατερα αγνο
ω, η ει τινα αυτοις αλλα ονοματα εστιν,
Χολχυθων κατοικουντων την αυτην
μοι πολιν. Υπαρχουσης γαρ μοι προγονι
κης οικιας εν τωι απο νοτου προς λιβα μερει
της σημαινομενης (Δ)ιοσπολεως
πηχων δεκαεξ, αφ (ων) επιβαλλουσι μοι
πηχεις επτα, δια τ(ο ε)ιναι τον πατερα
μου Πετενεφωτην (πρε)σβυτερον υιον,
ης εκυ(ρι)ευσαν οι τε (προ)γονοι μου και
ο πατηρ εφ οσον περι(ησα)ν χρονον
αναμφιλεκτως· οι ενκαλουμενοι εμβα
τευσαντες εις την σημαινομενην
οικιαν και περιοικοδομησαντες εαυτοις
οικητηρια ενοικουσιν βιαιως ουθενος
δικαιου αντεχομενοι. του δε $\overline{\mu\delta}$L
θωυθ οικοδομουντων αυτων
δια πολυχειριας ανευ οικοδομων,
και λογους ποιησαμενου προς αυτους,
ουθενι κοσμωι χρησαμενοι αφορητωι δε

ανομιαι εξενεχθεντες και εκπηδησαν
τες μοι και μιαναντες υβρισαντες με
πληγας εδω(κα)ν. Διο (τη)ν
καταφυγην εφ υ(μα)ς ποιησαμενος
δεομαι υμων των μεγιστων θεων και
νικηφορων, ει υ(μω)ν δοκει, αναπεμψαι
ημων την εντευξιν εις τους απο του
Πανοπολιτου μεχρι Συ(η)νης χρηματισ
τας, ων εισαγωγευς Αμμωνιος,
οπως χρηματισαντες αυτην
εις κρισιν, και μεταπεμψαμενοι τους
εγκαλουμενους δι Αντιφανου φρουραρχου
επισκεψωνται, ιν, εαν ηι οια προφερομαι, κρινω
σιν τους μεν διασαφουμενους της οικιας
πηχεις επτα ειναι εμους καθοτι και
εισιν, πραχθηναι δ' εμοι αυτους του αδι
κιου κατα το διαγραμμα χ̂κε. περι μεν
γαρ της υβρεως και πληγων και ων συντε
τελεσμενοι εισιν εις με μετα ταυτα
ληψομαι παρ αυτων δι αλλης εντευ
ξεως το δικαιον ως καθηκει. τουτου δε γενο
μενου εσομαι βεβοηθημενος.

ευτυχειτε

VERSIO

Regi Ptolemaeo et Reginae Cleopatrae uxori, Diis Evergetibus salutem dicit Apollonius dictus etiam Psemmonthes filius Hermiae dicti etiam Petenephotis, ex mercenariis equitibus Diospolis magnae Thebaidis. Iniuria afficior a Psenchonsi, et Chonompre filiis Teephibis, et Aritre, et Pechyto filiis Hori, et Mentemete, cuius patrem ignoro, quemadmodum etiam me latet si qua alia nomina ipsis sint, Cholchytis eamdem, atque ego, urbem incolentibus. Enimvero quum avita mihi esset domus sita in parte Austro-Occidentali praedictae Diospolis, cubitorum sexdecim, ex quibus cubiti septem mihi obvenerunt, quum pater meus Petenephotes fuerit filius natu maximus; quam domum maiores mei ipseque pater possederunt toto vitae suae tempore sine ulla controversia; Citati usurpantes praedictam domum, ac circum aedificantes sibi diversoria, eam incolunt vi usi, quin ullum ius habeant. Hoc vero anno XLIV, mense Thoyth, quum suis ipsi manibus, praeter fabros, frequentes aedificarent, cum iisque sermones conferrem, omnem prorsus ordinem praeterhabentes, tum iniquitate haud ferenda in me insilientes, meque polluentes, contumeliisque afficientes, verberibus multarunt. Quare ad vos confugiens rogo vos maximos ac Nicephoros Deos, ut, si lubet, liceat nostrum libellum mittere ad Chrematistas a Nomo Panopolite ad Syenem, quorum Dux est Ammonius, atque hi posteaquam libellum in iudicium deduxerint, reosque accersiverint per Antiphanem Praefectum praesidii, de causa cognoscant; ac si res ita, uti aio, se habeat, sua sententia definiant meos esse septem praedictos cubitos domus, quemadmodum revera sunt, praeterea a reis solvendos mihi esse ob iniuriam numorum aereorum talenta quinque. Nam quod attinet ad contumeliam et verbera, ceteraque quae in me admiserunt, ius meum in ipsos, uti consentaneum est, repetam subinde alio in libello. Hoc si fiat, opem ero consecutus

Valete

ADNOTATIONES

Ad Papyrum III.

Alterum huiusce Papyri exemplar vidi in R. Museo Aegyptio-Parisiensi; inde habui quibus supplerem lacunas nostri Papyri. Supplementa Parisiensia minoribus litteris repraesentanda curavi. Quae uncinis clausi, atque in utroque Papiro desiderabantur, ipse addidi ex coniectura.

Lin. 1. Βασιλει Πτολεμαιωι) Dubio vacat hunc Ptolemaeum Evergetem, qui Cleopatram habuit uxorem, fuisse Evergetem II. Certum quoque est, hunc supplicem libellum pertinere ad annum XLIV. Evergetis; nam inferius lin. 24. dicitur *τουδε μδL θωυθ hoc anno XLIV, mense Thoyth*; accedit quod transactio, quae litem in hoc Papyro propositam diremit, atque exhibetur in sequenti Papyro IV, notationem praesefert *ετους μδ, μεσορη κε anni XLIV, mesore* 25. Hic ergo libellus fuit anno XLIV Evergetis scriptus post mensem Thoyth, sed ante mensem Mesore; immo ante mensem Epiph, hoc enim mense libellus coniectus fuit in vas Ptolemaidis, vide Pap. IV. lin. 12.

Meminisse iuvabit Evergetem primo sui regni anno in matrimonium recepisse Cleopatram sororem, eamdemque demortui fratris uxorem, lege Iustinum *Histor. XXXVIII.* 8; hac repudiata certe ante annum sui regni XV, Cleopatram Philometoris et Cleopatrae filiam in matrimonium adscivisse; anno regni XV (lege Diodorum Siculum *Fragm. lib. XXXIII. p.* 79. *ed. Bip.* ibiq. adnot.) metu insidiarum in exilium profectum esse, filium natu maximum interfecisse, quod adeo acerbum universo populo visum est, ut eius statuas atque imagines detraxerit *Iustin. l. l.*; hinc bellum sorori ac patriae intulisse; tandem, reconciliata sororis gratia, reliquum vitae spatium tranquille transegisse. Haec ex Iustino lib. XXXVIII. 8. 9. 10 et XXXIX. 1. 2. constant.

Hinc variae oriuntur quaestiones Chronologicae: 1.° quo nam

definito anno Evergetes repudiaverit Cleopatram sororem, atque uxorem adsciverit Cleopatram fratris filiam: 2.° quo anno Evergetes ab exilio redux regnum recuperaverit: 3.° quemnam in annum inciderit reconciliatio inter Cleopatram sororem, fratremque Evergetem.

Circa alteram quaestionem Champollionius in suis Annalibus Lagidarum tom. II. pag. 176 constituit Evergetem anno 20 adeoque quinto post exilium anno in regnum restitutum fuisse. Consonat Papyrus, quem expendo, ex quo constat Evergetem anno XLIV (seu anno 20 a suscepto regno post mortem fratris Philometoris) ante mensem Mesore, ab exilio reducem libellos suo nomini inscriptos excepisse, atque adeo avitam sedem iam tenuisse; nisi dicere velimus, vel Thebanos anno XLIV ignorasse quod quartum ante annum Alexandriae contigerat, vel publicos actus nomine Evergetis insignitos fuisse etiam posteaquam ipse regno excesserat, eiusque imagines ac statuae detractae fuerant, volente Cleopatra, quae regnum non tantum affectabat, verum etiam, uti probabile fit, per id tempus revera moderabatur. Cum hoc Papyro facit Papyrus Demoticus Taurinensis n.° 20, qui ita incipit: *Anno 44 Mesore 20 regnante Ptolemaeo filio Ptolemaei, et regnante Cleopatra eius uxore, Diis Evergetibus*, quin aliam Cleopatram sororem laudet. Concinit etiam Papyrus Demoticus Taurinensis n.° 33. 62, cuius protocollus ita exorditur: *Anno 44 Mesore . . . regnante Ptolemaeo Deo Evergete, filio Ptolemaei, et regnante Cleopatra eius uxore, Diis Evergetibus*. Ergo Evergetes Alexandriam iam regressus erat, rerumque summa potiebatur mense Mesore anni XLIV, seu vigesimi a Philometoris morte; nondum tamen Cleopatra Philometoris uxor in fratris Evergetis gratiam redierat, neque enim eius nomen commemoratur vel in duobus Papyris Demoticis mox laudatis, neque in hoc Graeco, quem illustrare contendo. Bene vero legitur in Protocollo duorum Papyrorum Berolinensium anni XLVI, quorum imagines debeo humanitati Buttmanni Viri Cl.; ita enim utriusque Protocollus incipit: *Anno XLVI, Payni 20, regnante Ptolemaeo Deo Evergete filio Ptolemaei et Cleopatrae*

Deorum Epiphanum, ac regnante Cleopatra eius sorore, regnante etiam Cleopatra eius uxore, Diis Evergetibus. Eodem item ordine utraque Cleopatra recensetur in Obelisco Philarum Βασιλεῖ Πτολεμαίῳ, καὶ Βασιλίσσῃ Κλεοπάτρᾳ τῇ ἀδελφῇ, καὶ Βασιλίσσῃ Κλεοπάτρᾳ τῇ γυναικὶ, θεοῖς Εὐεργέταις, hic ergo Obeliscus, uti merito statuit Letronnius in *Recherches pour servir à l'Hist. de l'Égypte* p. 304, post reconciliatam fratris gratiam excitatus fuit. Reconciliata porro fuit post mensem Mesore anni XLIV, sed ante mensem Payni anni XLVI, seu anno 21 aut 22 ab adepto regno post Philometoris obitum.

Lin. 4. Των απο Διοσπολεως) Ex iis quae de potestate praepositionis ἀπὸ disputavi ad Pap. I. p. I. lin. 9. dubitare nequimus, quin οἱ ἀπὸ Διοσπόλεως μισθοφόροι ἱππεῖς sint *mercenarii equites Diospolis.* Utrum vero quisque Nomus definitum mercenariorum numerum alere debuisset, ita ut mercenarii equites indigitentur, quos suppeditabat Diospolis; an solum praesidium urbis innuatur, ut adeo vertendum sit *ex mercenariis equitibus praesidii Diospolis*, certo constituere nequeo. A μισθοφόροις discrepabant οἱ κάτοικοι, de quibus hic me dicturum esse promisi ad Pap. I. p. I. lin. 7.

Satis constat potiorem exercitus partem aetate Ptolemaei Soteris constasse ex militibus graecis, qui sub Alexandro stipendia fecerant, ac Soteris fortunam in Aegypto secuti fuerant; hisce accedebant ξένοι *exteri*, quos, ingruente bello, Soter conscribendos curabat in finitimis graecisque provinciis; tandem annumerandi veniunt Aegyptii, ex quibus alii armis instructi erant, alii impedimenta curabant. Enimvero, ut habet Diodorus Sic. XIX. 80, Ptolemaeus Soter bellum contra Demetrium suscepturus movet ἔχων πεζοὺς μὲν μυρίους ὀκτακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ τετρακισχιλίους, ὧν ἦσαν οἱ μὲν Μακεδόνες, οἱ δὲ μισθοφόροι· Αἰγυπτίων δὲ πλῆθος, τὸ μὲν κομίζον βέλη καὶ τὴν ἄλλην παρασκευὴν, τὸ δὲ καθωπλισμένον καὶ πρὸς μάχην χρήσιμον *habens XVIII. M. in peditatu, in equitatu IV. M. quorum alii Macedones, alii conductitii erant. Aegyptiorum multitudo partim tela ceteraque impedimenta gestabat, partim armis ad pugnae*

usum instructa erat. Sed posteaquam Macedones aliique graeci milites illecti humanitate regis honoribusque sibi collatis certum domicilium in Aegypto ceperunt, quodnam censebimus factum ipsis fuisse nomen? Equidem existimo dictos fuisse *κατοίκους inquilinos, incolas certum domicilium habentes*, quod nomen occurrit tum in Pap. I. p. I. lin. 7, tum in Inscriptione edita a Letronnio in *Recherches* p. 313, *γραμματεὺς τῶν κατοίκων ἱππέων.* Hoc quadantenus nobis tradit Aristeas in *Ep. ad Philocratem sub init.* narrans Ptolemaeum Soterem tres hominum myriadas delegisse ex Iudaeis a Palaestina abductis, quos *εἰς τὴν χώραν κατῴκισεν ἐν τοῖς φρουρίοις in praesidiis Aegypti certo domicilio constituit.* Tum Polybius V. 65. Philopatoris exercitum describens ait *συνήχθη δὲ καὶ Θρᾳκῶν καὶ Γαλατῶν πλῆθος, ἐκ μὲν τῶν κατοίκων καὶ τῶν ἐπιγόνων εἰς τετρακισχιλίους*, equidem verto *contracta etiam est Thracum et Galatarum manus cum ex inquilinis, tum ex iis qui supervenerant, ad quatuor milia;* perperam enim Schweighauserus vertit *ex inquilinis et horum liberis*, nam etsi vox *ἐπίγονοι* saepe notet *nepotes, sobolem*, tamen hic primariam *supervenientium* potestatem ab *ἐπιγίγνεσθαι* tueri videtur. Quare Polybius innuit tum Thracas et Galatas, qui stabiles sedes in Aegypto constituerant, tum alios qui non ita pridem supervenerant. Hisce accedit quod *κάτοικος* revera notet incolam stabilem, unde *κατοικία certum domicilium* in Pap. I. p. I. lin. 23. 26; contra *παροικεῖν* est *ad tempus manere, commorari.* Atque haec incolarum classis dicta fuit *κάτοικος* instar *τῶν μετοίκων* Atheniensium; in eo tamen utrique differebant, quod *μέτοικοι* a multis Atheniensium civium iuribus excludebantur, *κάτοικοι* vero Aegyptii iis omnibus iuribus gaudebant, quae primum Alexander, tum Ptolemaeus Soter, ac reliqui reges concesserant advenis, qui in Aegyptum immigrabant. Iam vero Ptolemaeos, maxime qui primi post Alexandrum sceptrum tenuerunt, eo summopere contendisse, ut insigni moderatione ac liberalitate exteros quosque allicerent ad sedes in Aegypto quaerendas, et ipsa Lagidarum regni conditio suadet, et universi historici literis prodiderunt.

A *κατοίκοις* differebant *οἱ ἐγχώριοι* Aegyptii. Norunt omnes litteras *ἐγχωρίους* in Inscriptione Rosettana et Taurinensi esse vulgares Aegyptias seu Demoticas. Quam vocabuli potestatem probe tenens Polybius in recensione nuper commemorata exercitus Philopatoris enumerat equites *τοὺς ἀπὸ Λιβύης, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐγχωρίους* *Libycos et Aegyptios*. Quare Lagidarum subditi in *ἐγχωρίους* *indigenas*, et *κατοίκους* *inquilinos* tribuebantur. Illi legislatione Aegyptia utebantur, isti Graeca. Progressu vero temporis quum multi Aegyptii ad graecos mores transissent, et priorum *κατοίκων*, qui Soteris aetate in Aegyptum venerant, externa origo obliterata fuisset, simulque graeci universas Aegypti partes pervasissent, existimo hanc distinctionem nomine tenus retentam fuisse, at inter milites *κατοίκους* extitisse complures Aegyptios. Adeo haud secus existimo primis Lagidarum annis *μισθοφόρους* revera constasse ex conductitiis hominibus graecis, asiaticis, aliarumque gentium; sed progressu temporis etiam inter istos irrepsisse Aegyptios, non abnuentibus Ptolemaeis, qui eo spectabant, ut Aegyptii antiquos mores dediscerent, ac militari disciplinae Macedonicae assuescerent. Inter hos recensendus est Apollonius noster, Aegyptio etiam nomine dictus Psemmonthes, qui quum possessor dicatur *προγονικῆς οἰκίας* *avitae domus* (vide infra lin. 12) in urbe Thebarum, homo Aegyptius fuisse videtur; erat tamen mercenarius eques.

Lin. 5. Της Θηβαιδος) Abest a Parisiensi.

Lin. 7. Χονομπρεους) Hic in Pap IV. lin. 6 dicitur filius Arsietis.

Lin. 9. Μεντεμητος) In Papyro IV. lin. 7. dicitur filius Eriei.

Lin 16. Τον πατερα) Hinc constat iura primorum natu obtinuisse apud Aegyptios. Sed quum nos lateat quot fratres ac sorores Petenephotes habuerit, quibuscum paternum assem diviserit, quot etiam filios praeter Apollonium susceperit, qui paternam haereditatem adiverint, nequimus constituere quota assis pars filio natu maximo ab Aegyptiis concessa fuerit. Hebraei primogenitis duplam haereditatis portionem, quam ceteris fratribus, concedebant, vide *Deuteron. XXI.* 17.

Lin. 20. Εμβατευσαντες) Quamvis ἐμβατεύειν εἰς τὴν κληρονομίαν, vel οὐσίαν, de eo dicatur qui haereditatem vel bona sibi delata iure adit; tamen a LXX Interpretibus de eo etiam dicitur, qui possessionem aliquam *vi invadit atque usurpat*, vide I. *Machab*. XII. 25, XIII. 20, XIV. 31, XV. 40. Quae vocis notatio hic optime quadrat.

Lin. 23. Οικητηρια) Apud LXX. Interpretes, in N. Testamento et apud alios, quos vidi, scriptores οἰκητήριον est *domicilium*, *habitaculum*; tamen hic designare videtur partem domus, gallice *appartement.*

Lin. 26. Πολυχειρίας) Diodorus Siculus *lib*. XV. *n*. 68. narrat vallum fossamque profundam cito ad exitum perductam fuisse διά τε τὴν πολυχειρίαν καὶ τὰς προθυμίας τῶν ἀνδρῶν *ob multitudinem et diligentiam operarum.*

Lin. 34. Αναπεμψαι ημων) Pro ημων Papyrus Parisiensis habet μοῦ *meam*. Sed, omissa tantilla varietate, praestat dicere de universo loco, ex quo Chrematistarum iurisdictio, simulque fines Thebaidis illustrantur.

Apollonius a rege petit, ut suus libellus remittatur ad Chrematistas, qui a Nomo Panopolite ad Syenem usque ius dicturi erant. Verbum ἀναπέμπειν sollemne est ad eam *remissionem* designandam, qua quis libellum sibi inscriptum *remittit* ad alium iudicem, ut de causa cognoscat; sic in Pap. I. p. I. lin. 13 υπομνημα αναπεμφθεν δε εφ ημας libellus ab Hermia inscriptus Stratego, quem Strategus ad Heraclidem Praefectum remiserat. Profecto vident omnes Apollonium non ideo libellum inscripsisse regi Evergeti, quasi sibi blandiretur regem ipsum de causa cogniturum esse, sed ut libellus ad aliquem magistratum extraordinarium, iubente rege, remitteretur. Extraordinarium inquam; si enim iudici ordinario illum exhibere voluisset, non erat cur regem scripto adiret. — At, nonne Chrematistae inter ordinarios magistratus recensebantur? Cur ergo Apollonius hos recta via non adivit? Cur a rege facultatem petiit, ut sua causa extraordinario iudicio Chrematistarum subiiceretur? — Non semper cuivis licuisse causas deferre ad Chrematistas evincunt ea verba Papyri I.

p. II. lin. 31. *ηξιωσα ινα χρηματισθησοιτο υπομνημα . . . ο και αποσταλεν απεδωκα εν Λατωνπολει petii, ut libellus iudicio Chrematistarum subiiceretur . . . quem etiam missum reddendum curavi in urbe Latonpolis.* Scilicet quo tempore Chrematistae sedem in urbe alicuius Nomi fixerant, poterant illius Nomi incolae recta illos adire, quin ullam facultatem a rege peterent; at eo ipso tempore id vetitum erat incolis aliorum Nomorum, nisi facultatem a rege obtinuissent. Nisi hoc severum praescriptum ponas, actum est de praecipuo fine, ob quem Chrematistae instituti fuerunt. Etenim ex dictis ad Papyrum I. pag. 98. ideo Chrematistae universos Epistrategiae Nomos pererrabant, ut facile quisque posset iura sua obtinere, quin munera, rem familiarem, patriam, potissimum vero agriculturam desereret longa itinera suscepturus ut ad remotissimas urbes se conferret, in quibus magistratum adiret, qui vice sacra iudicaret. Atqui sapientissimum hoc institutum numquam attigisset propositum finem, si incolis Nomi Ombitici licuisset suum libellum iniicere in vas a Chrematistis expositum in Nomo puta Antaeopolitano. Accedit quod facilis beatioribus locus datus fuisset vexandi plebem; ipsi enim diu a patria abesse poterant, quin grave detrimentum caperet res familiaris; longe secus rei minus beati, qui agriculturae vel arti alicui operam dantes vadimonium facile deseruissent, atque adeo eremodicii fuissent damnati. Huic coniecturae, nisi fallor, maxime probabili suffragatur laudatus locus Papyri; namque ibi Hermias, qui Diospoli versabatur, ac Diospolitanos Cholchytas in ius vocare constituerat, ausus non est libellum Chrematistis proponere in urbe Latonpolis, nempe in alio Nomo, nisi posteaquam facultatem obtinuisset, utique a rege, *ηξιωσα ινα χρηματισθησοιτο . . . εν Λατωνπολει petii ut libellus iudicio Chrematistarum subiiceretur . . . in urbe Latonpolis.* Eo etiam spectat hic, quem illustro, libellus. Scilicet Apollonius optabat quantocius evincere domum a Cholchytis usurpatam; nam Cholchytae *δια πολυχειριας frequenti operarum multitudine* varia diversoria ad exitum urgebant. Interea Chrematistae erant in alio Nomo, puta Panopolite, neque fortasse nisi post unum

aut alterum annum Thebas venturi fuissent. Quid ergo consilii cepit Apollonius? Petiit a rege, ut sibi liceret rem deferre ad Chrematistas quamvis in alio Nomo ius dicentes. Voti compos factus libellum coniecit *εις το προκειμενον εν Πτολεμαΐδι αγγειον υπο Χρηματιστων, ων εισαγωγευς Αμμωνιος του μδL επειφ*, *eodem anno XLIV, mense Epif* libellum, inquam, coniecit *in vas Ptolemaide propositum a Chrematistis, quorum dux erat Ammonius*, vide Pap. IV. lin. 10. sq.

Sed Chrematistae in Papyro dicuntur *οι απο Πανοπολιτου μεχρι Συηνης a Panopolite ad Syenem*; ergo ne eorum auctoritas intra hosce limites concludebatur? Quod si ita esset, atque aliunde constet hunc magistratum ad universam epistrategiam Thebaidis pertinuisse, iidem etiam limites assignandi forent Thebaidi, quae adeo constaret Nomis Panopolite, Thinite, Diospolite, Tentyrite, Coptite, Pathyrite, Hermonthite, Apollopolite, et Ombite, in universum novem, seu potius octo, nam, uti mox demonstraturus sum, Panopolites et Thinites sunt unus idemque Nomus. Atqui Strabo memoriae prodidit, ac certissimum est Thebaidem decem Nomis constasse. Quae quum ita sint, non de universa epistrategia, in qua Chrematistae ius dicerent, hic Papyri locus intelligendus est, sed alia interpretatio quaerenda. Ego vero rem mecum ita reputo. Quo tempore Apollonius hunc scripsit libellum, Chrematistae Ptolemaide ius dicebant, uti mox evincam; hi suo munere defuncti a Ptolemaide ad ceteras superiores urbes Syenem versus perrecturi erant. Ignorabat Apollonius, utrum serius an ocius sibi a rege rescriptum foret, adeoque quanam in urbe futuri essent Chrematistae quando facultas sibi a rege facta esset. Quare nullam peculiarem urbem designans, generatim petiit, ut sibi liceret libellum in vas Chrematistarum coniicere a Panopolite ad Syenem; sperabat enim fore, ut interea dum Chrematistae a Ptolemaide Syenem versus se conferebant, sibi a rege responsum foret. Dixi, quo tempore Apollonius hunc scripsit libellum, Chrematistas Ptolemaide ius dixisse. Rem ita se habere colligo ex Papyro IV. lin. 12. ubi Apollonius dicitur mense Epif coniecisse libellum in vas Ptolemaidis. Iam si

mense Epif Ptolemaide morabantur, eadem etiam in urbe fuisse videntur paucos ante menses, quando Apollonius libello regem adivit. Nam quum ignoraret utrum serius an ocius rex responsurus esset, ignoraret etiam quamdiu Chrematistae quaque in urbe mansuri essent, praesertim vero ea in urbe, in qua tum ius dicebant, prudentissime fecit, si primam commemoravit illam ipsam urbem in qua Chrematistae causas iudicabant, quando ipse libellum scripsit.

Sed nova inde oritur implexa quaestio. Ptolemaidem posui in Nomo Panopolite, quum ex D'Anvillio aliisque geographis nomi Panopolitis princeps urbs sit Chemmis, Ptolemais vero metropolis nomi Thinitis. Ergo ne litem lite resolvi? Dicam quod res est; opportuna mihi sese offert occasio emendandi geographorum errorem existimantium nomum Thinitem a Panopolite differre. Duo haec vocabula synonyma sunt, eundemque nomum designant, cuius metropolis post conditam Ptolemaidem a Chemmi in novam hanc urbem translata fuit. Nolo hic intricatissimam ingredi quaestionem de XXXVI nomis Aegypti; aio in Thebaide Strabonem posuisse decem nomos, subinde vero ex iis quae Plinius, Ptolemaeus, aliique tradiderunt, atque ex numis colligi posse videntur, D'Anvillium recensuisse nomos quatuordecim. Eiusmodi Nomorum incrementum acceptum referant alii Romanis novam Aegypti divisionem instituentibus; equidem repetendum etiam censeo ex polyonymia nonnullorum nomorum, quam recentiores geographi haud sunt assecuti. Sic D'Anvillius duos nomos ponit *Phaturiten* et *Thebarum;* iamvero ad Papyrum IV demonstrabo *Pathyriten* et *Peri-Thebas* unum eundemque esse nomum. Paria statuo de Panopolite et Thinite. Enimvero Plinius *lib.* V. *c.* 9 enumerans undecim nomos Thebaidis Thinitem quidem commemorat, at reticet Panopolitem, inquiens: *summa pars* (Aegypti) *contermina Aethiopiae, Thebais vocatur. Dividitur in praefecturas oppidorum, quas Nomos vocant, Ombiten, Apollopoliten, Hermonthiten, Thiniten, Phaturiten, Coptiten, Tentyriten, Diospoliten, Antaeopoliten, Aphroditopoliten, Lycopoliten.* Quae qui attente perpenderit, is mecum fateatur

necesse est, Ptolemaidem ex Plinio vel non fuisse metropolim alicuius nomi, vel illam fuisse nomi Thinitis; nam proximiores nomi ordine geographico digesti, sunt Diospolitis, Thinitis, Aphroditopolitis. Adeo haud secus Agatarchides apud Photium *cod.* 250 in Thebaide primo collocat Λύκων πόλιν, dein Ἀφροδίτης ἄλλην, Πανῶν, Διὸς πόλιν, ἣν καὶ καλοῦσι μικράν, quare exorsus a finibus Aegypti mediae ita recensebat nomos, Lycopolitem, Aphroditopolitem, Panopolitem, Diospolitem; iam nisi Ptolemaidem colloces in Panopolite, ea vel nuspiam est, vel non est metropolis nomi; insuper animadverte Thinitem ab Agatarchide omissum fuisse. Tandem Ptolemaeus silentio praetermittit Chemmim; namque post Aphroditopolitem nomum et Crocodilorum urbem commemoratam, subdit Θινίτης νομὸς, καὶ μητρόπολις Ἑρμίου Πτολεμαΐς· εἶτα μεσόγειος ὁμοίως ἀπὸ δύσεως Ἄβυδος *Thinites nomus, eiusque metropolis Ptolemais Hermii; postea civitas mediterranea item ab occasu Abydus.* Igitur ex veteribus geographis qui Chemmim nominabat, idem silentio praetermittebat Ptolemaidem, et qui Thinitem commemorabat idem reticebat Panopolitem, et contra. Hisce non infirmis argumentis ex auctoritate deductis accedit ipsa ratio. Chemmis seu Panopolis, urbs antiqua fuit, ab Herodoto II. 91. dicta πόλις μεγάλη νομοῦ τοῦ Θηβαϊκοῦ *urbs magna Nomi Thebaici*, immo ex Diodoro Siculo I. 18. a priscis incolis exaedificata fuit in honorem Panis, quem Deum Aegyptii Chemmim appellant. Eam λινουργῶν καὶ λιθουργῶν κατοικίαν παλαιὰν *linificii artificum et lapicidinarum veterem habitationem* fuisse tradit Strabo XVII. p. 1167. Nobilissima ergo fuit urbs ac sui nomi princeps. Atqui Ptolemaeorum aevo non ita procul a Chemmi nova fuit excitata urbs Ptolemais, de qua ita Strabo I. 1. Πτολεμαϊκὴ πόλις μεγίστη τῶν ἐν τῇ Θηβαΐδι, καὶ οὐκ ἐλάττων Μέμφεως, ἔχουσα καὶ σύστημα πολιτικὸν ἐν τῷ Ἑλληνικῷ τρόπῳ *Ptolemais civitas omnium maxima, quae in Thebaide sunt, et Memphi non minor, quae etiam graeco more instituta est.* Scilicet Ptolemaei, qui ad perennitatem sui nominis condebant urbem, eamque in Aegypti meditullio ad graeca instituta ordinatam collocabant, ut fidelissimos

graecoque nomini addictos cives haberent in ipso regni centro, curarunt, quantum in se erat, ut Ptolemais civibus, divitiis, rebusque omnibus floreret supra ceteras civitates. Quae quum ita sint, putabimus ne Ptolemaeos praecipuum decus suae urbi invidisse, ut esset Nomi metropolis ? Iam Ptolemaidi proximos post Alexandriam honores concesserant sacris in rebus ; sacerdotium enim Ptolemaidis post illud Alexandriae nominatur in protocollo Papyri Anastasy (1); atque censebimus eidem urbi primos in re civili honores denegatos fuisse ? Fuit nomi metropolis, hinc Ptolemaeus *Θινίτης νομὸς, καὶ μητρόπολις Ἑρμίου Πτολεμαΐς* *Thinites nomus eiusque metropolis Ptolemais Hermii.* Ergo ne duae erant metropoles maxime propinquae, Chemmis et Ptolemais ? Existimo Chemmim eam fortunam passam esse, quam experiri solent urbes, quarum in viciniis aliae surgunt, quas reges ipsi curant iubentque esse florentissimas. Nempe Chemmis civibus suis viduata a pristino splendore descivit, civilibusque decoribus spoliata nihil nisi antiqui nominis famam retinuit; honor etiam primatus in nomo fuit Ptolemaidi delatus, neque enim credere licet duas urbes spatio vix paucorum stadiorum disiunctas duas fuisse metropoles duorum nomorum. Interea quum huic nomo duo essent nomina, alterum Aegyptium *Θινίτης*, graecum alterum *Πανοπολίτης*, cuius duplicis appellationis alia exempla afferre possem, geographi recentiores duos admiserunt nomos, sed perperam.

Lin. 37. Αμμωνιος) Vide Papyrum IV. lin. 11.

Lin. 38. Χρηματισαντες) Locutio *χρηματίζειν τὴν ἔντευξιν εἰς κρίσιν* dicitur, ut mihi quidem videtur, de iudice, qui libellum sibi delatum excipit, atque in iudicium deducit, quum cognitio illius causae intra fines propriae iurisdictionis contineatur.

(*a*) Solent Aegyptii Antiquarii Papyrum Anastasy appellare *Contractum Ptolemaidis* quasi in urbe Ptolemaidis descriptum, vide, inter ceteros, S. Martinium in *Journ. des Savans* 1822. p. 558. At qui universum Papyrum paullo attente legat, facile videt rem omnem Thebis fuisse transactam, ubi situs erat ψιλοτόπος divenditus, degebant venditores, et emptor; Ptolemaidem vero non commemorari, nisi quatenus tabellio Sacerdotio Alexandriae Sacerdotium etiam Ptolemaidis addere voluit. Quare desinant tandem docti viri eum appellare contractum Ptolemaidis.

Lin. 40. Φρουραρχου) Paribus in adiunctis Hermias Strategus per epistolam significavit Ptolemaeo Praefecto Peri-Thebarum, ut Latonpolim mitteret reos Cholchytas Diospolitanos, vide Pap. I. p. II lin. 33. Cur vero idem munus in hoc Papyro demandetur τῷ Φρουράρχῃ *Praefecto Praesidii*, equidem non intelligo.

Lin. 44. Πραχθηναι) Πράττεσθαί (voce media) τινα χρήματα *est pecunia aliquem mulctare* apud Thucydidem IV. 65. Apud alios πράττεσθαι (medie) et πράσσειν saepe notant *exigere* pecuniam, vide Zeune ad *Vigeri Idiotism. ed. Herm.* p. 291. sq. et Schleusner *Nov. Lexicon Gr. in N. Testam.* ad voc. At inaudita est haec constructio, simulque potestas vocis passivae πράττεσθαί τινι χρήματα *aliquem mulctari pecunia alteri solvenda.* Quod si conferas affinem locum Papyri VIII. lin. 86. πραχθηναι αυτον τα επιτιμα *mulctam exigi ab eo*, videbis πράττεσθαι passive *exigi, mulctari* construi cum accusativo personae a qua mulcta exigitur, et dativo personae cuius favore exigitur; quemadmodum in hoc loco πραχθηναι μοι αυτους *numos ab iis exigi mihi solvendos*, *illos mulctari mulcta mihi solvenda.*

Ibid. Του αδικιου) Harpocration, Suidas, atque Etymologicon M. vocem ἀδικίου illustrant. Etymologicon haec habet: Ἀδικίου. ὄνομα δίκης κατὰ τῶν ὁπωσοῦν ἀδικούντων· τῆς δὲ δίκης τὸ τίμημα ἀργύριόν ἐστιν ἀποτιννύμενον ἁπλοῦν, quae iisdem omnino verbis exhibet Anonymus apud Bekkerum *Anecd. Graeca* p. 199. 32. Quare ἀδικιον est nomen iudicii, quod in eos exercebatur, qui aliqua ratione iniuriam intulerant, ac pecunia aestimabatur. Huic potestati maxime affinis est illa huius loci. Enimvero hic innuitur *iniuria* in rem tranquillitatemque publicam illata, quam lex poena pecuniaria coërcendam esse constituit, tum pecunia persolvebatur laeso. Namque Apollonius nihil a Cholchytis exigere poterat, nisi vel tamquam damni dati reparationem, vel tamquam mulctam quae inter ipsos convenisset, vel tamquam poenam a lege statutam. Nullum vero detrimentum passa fuerat Apollonii domus a Cholchytarum occupatione; immo Cholchytae illam instauraverant, novaque οἰκητήρια adiecerant, ita ut

nedum peiorem, verum meliorem reddidisse dicendi sint. Nullus inter utrosque praecesserat contractus, ut de mulcta cogitare possimus. Superest ergo ut lex extiterit, quae varias poenas pro variis maleficiis definiverit, easque pecunia aestimaverit; sic Romanus Praetor quandoque actionem dabat in duplum, in triplum, vel in quadruplum. Quare Apollonius pecuniam exposcit κατα το διαγραμμα. Sane διάγραμμα interdum significat διάταγμα, et quasi πρόγραμμα *edictum*, *decretum*, vide Appiani et Plutarchi loca in Budaei *Comment. in L. Gr.* p. 161. quibus adde Iosephum *Antiq. Jud.* XIX. 5. 1. Polybium XXIII. 10. 6. et Schweighauserum in *Indice Appiani Alex.* ad v. Recte vero illud decretum dici autumo, quod singillatim varia maleficia recensens statuebat varias pecuniae summas pro quovis maleficio persolvendas; sic enim voci διάγραμμα sua constat potestas etymologica ac consonans ceteris eius notationibus, quas lege in eodem Budeo, et Schweighausero ad *Athen.* VIII. p. 352, recole etiam quae adnotavi in Parte prima pag. 145. Petitor in hoc ipso primo libello rem occupatam vindicans actionem etiam intentabat τοῦ ἀδικίου, seu iniuriae in legem ac summam rempublicam illatae. Sententia a iudice prolata, nova actio dabatur de ὕβρει et πληγαῖς (vide infra lin. 46); illa est *contumelia*, seu *iniuria* in personam petitoris; πληγαὶ sunt *verbera*, vulnera, hisque similia. Accurate ergo secernant philologi crimen τοῦ ἀδίκιου ab ὕβρει; illud est *iniuria in legem* ob ius publicum violatum, haec vero *iniuria* seu contumelia in personam.

Lin. 45. χ̄κε) Papyrus Parisiensis habet χαλκου κε, interpretor *aeris talenta quinque*. Sed quum ex certo iudicio de potestate siglae κ, quae in singulis fere graecis Registris Contractuum Demoticorum occurrit, pendeat aestimatio numorum, bonorumque immobilium, tum operae pretium me facturum duxi, si nonnulla attingerem de notis numeralibus graecorum. Qua forma illas pingerent graeci veteres in publicis monumentis, facile cognoscimus ex Inscriptionibus maxime Atheniensibus, ex quibus illas tantum commemorabo a Böckhio editas in *Die Staatshaushaltung der Athener*. Sed quis

credat veterem graeciam arithmeticos calculos ineuntem adhibuisse illud systema numericum, quod Inscriptiones referunt, atque elementis decem et septem indiget, ut drachmas 3989 notet? Quemadmodum scriptura alia erat maiuscula atque in publicis monumentis adhibebatur, alia vero minuscula ad communem vitae usum; ita duplex fuit notarum numericarum genus, aliud sollemne pro insignibus Inscriptionibus, aliud vulgare ad arithmeticae usum. Postremum hoc vulgare innotuit nobis ex recentioribus codicibus, indeque Vir Cl. Delambre suam concinnavit *Arithmeticam Graecorum*, quam vide ad calcem libri *Oeuvres d'Archimede traduites par Peyrard. Paris* 1807. Quamvis vero persuasum sit antiquum systematis numerici fundum ad recentiores graecos pervenisse, tamen suspicari licet expertum fuisse temporis vim rerum formas immutantis; nihil ergo optabilius nobis contingere posset, quam si monumentum aliquod veteris aetatis in lucem proferretur, quod vulgares numerorum figuras exhiberet. Sed opportune hoc desiderium explet Papyrus XXIV. R. Musei Aegyptio-Parisiensis, quem non longe a Ptolemaeorum aetate abesse credo. Refert ille rationem, quam Nicolaus quidam reddit Peri-Thebarum Oeconomo expensarum in varia opera, potissimum vero in τας διωρυγας, in τα χωματα, et in περιχωματα, quarum curator fuerat Nicolaus designatus. Praetermitto singula expensarum capita; aio singulis respondere notas aliquas numericas, quarum summa ter concluditur. Earum imaginem exhibui in Tabula n. 1, 2, 3, extremus numerus summam refert. Imagini addidi interpretationem signis Arabicis. Hinc facile quisque colligit:

1.° in unitatibus, decadibus, et centenariis numeris recentiores ac veteres graecos consentire, at formam numerorum 90, et 900, paullo secus pictam fuisse, vide n. 1 et 2.

2.° numeros 2000 et 4000 designatos fuisse litteris β et δ, quarum summo apici accedebat linea sinistrorsum vergens, inflexa, ac recidens. Quare affirmare licet millenarios numeros scribi consuevisse litteris β, γ, δ, aliisque unitates notantibus, quarum apicibus

addebatur linea sinistrorsum reflexa, ac respondens apici subscripto recentiorum graecorum, uti in β, γ, etc.

3.º Quod si verum est, vident omnes numerum *mille* designari debuisse elemento α, cui adiiceretur linea curva nuper commemorata. Porro si attendas elementum α pingi consuevisse in Papyris ad formam ∡, praesertim quum non connectitur cum littera antecedente, atque huic formae imponas lineam inflexam, habebis elementum ƻ, quae forma insignis occurrit in tribus primis laterculis tabulae ad notandum numerum *mille*. Cave tamen, ne hanc siglam conflatam ex littera α, cui superiecta est linea curva millenariorum index, confundas cum littera *zeta* Z maiuscula; ab ea enim omnino differt.

4.º Decades millenariorum notantur numeris unitatum impositis litterae M, utpote initiali vocis *μύριας decem mille*; quandoque tamen littera M adeo incuriose pingitur, ut nihil sit nisi linea curva utrimque vergens inferius, vide tabulam n.º 4.

Sub. n.º 5.º exhibui nonnullas siglas ex eodem Parisiensi Papyro excerptas, quibus fractiones innui consuevisse existimo. Tum n.º 6 dedi fractionem ½ primo ex Papyro III. Parisiensi, in quo post semel commemoratas *πυρου αρταβας εικοσι δυο ημισυ*, eaedem iterum ita, ut in tabula est, laudantur; deinde etiam ex Graeco Registro Papyri A Grey, in quo cubiti 2. ½ areae vacuae venduntur.

Atque haec de forma, qua numeri pingebantur aetate Ptolemaeorum. Iam ad alias siglas illustrandas accedo, quae cum numeris coniunctae passim occurrunt.

In Papyro XIII. Taurinensi video commodatam pecuniae summam, quae sigla (ϟζφ) indicatur. Duo prima elementa sunt indubie *αρ* (fortasse etiam accedit *υ* pendulum supra lineam), initialia vocis *ἀργυρίου argenti*; tertium ʕ habeo uti indicem *drachmarum*, sane Archaeologi tradere solent drachmam designatam fuisse signo <; ut adeo pecuniae summa mutuo data fuerit drachmarum argenti quingentarum. Praeterea idem Papyrus narrat, debitorem pendere quotannis debuisse drachmas 72, et olyrae mensuras (certe artabas) 60, quas idem Papyrus aestimat duabus

drachmis; creditor vero conqueritur iam a quatuor annis nihil sibi solutum fuisse, ac reposcit τας πασας *universas* argenti drachmas 1268. Revera

Sors erat drachmarum φ, seu	500
Drachmae 72 per quadriennium solvendae	288
Olyrae mensurae 60, elapso quadriennio, evadunt 240, harum vero quavis aestimata 2 drachm., habes .	480
Drachmae	1268.

Quum ergo recte omnia secum constent, siglarum interpretatio a me allata indubia evadit. Ceterum drachmae argenteae commemorantur etiam in Papyris IV et VIII, ut pateat vulgares fuisse in Aegypto.

Sed alia superest interpretanda sigla, quae me multum diuque incertum habuit. Scilicet eodem in Papyro XIII. actor posteaquam repoposcit universam summam drachmarum 1268, petit praeterea ut sibi veluti damnorum repensatio dentur χ̄χε. Elementum χ declarant Papyri, qui totis litteris scribunt χαλκου; maxime vero Papyrus IV. exhibens χ̄ νομισματος, quod initialibus litteris χ̄υ scribitur in Papyro VIII. lin. 36; accedit Papyrus IV. lin. 15, in quo est χαλκοτυπωντων; tandem initiali χ, quae est in Registro Papyri Anastasy, respondent in textu verba χαλκου νομισματος. Ratum ergo sit elementum χ notare *aereum numisma*, *aereos cusos*, aeream monetam signatam. Recte enim vero. Nam aereus numus dicebatur etiam χαλκέος apud alias gentes. Sane in autonomis aereis Antiochiae Syriae inscriptum legitur vocabulum χαλκους *aereus*, vide Eckel *Doctrin. Num. Vet.* pars I. vol. III. p. 286; tum, teste Pausania lib. VII. 22. 2, domestica moneta, qua Pharenses utebantur, appellabatur χαλκοῦς *aerea*, ait enim καλεῖται δὲ χαλκοῦς τὸ νόμισμα. Tandem numi χαλκοὶ ita commemorantur ab Etymologico M. p. 753. lin. 49. Τεταρτημόριον, τὸ τέταρτον μέρος τοῦ ὀβολοῦ, τουτέστι χαλκοὶ δύο· ὁ γὰρ ὀβολὸς, ὀκτὼ χαλκοῦς ἔχει. τριτημόριον δὲ, τοὺς ἓξ χαλκοῦς, εἴρηκε Φιλόξενος, scilicet Τεταρτημόριον *est quarta oboli pars, seu aerei duo, nam obolus constat octo aereis; vocabulo* τριτημόριον, *quod respondet aereis sex, usus est Philoxenus.* Praetereo Pollucem lib.

IX. segm. 92, qui ait οἱ χαλκοῖ νομισμάτιον ἦν λεπτὸν *aerei numisma erant parvum*, et alios.

Iam, quemadmodum in argenti summis indicandis, vidimus siglam drachmarum consuevisse mediam poni inter metallum ἀρ, seu argentum, et quantitatem numericam; ita in aereis numis media inter χ *aes*, et notam numericam, esse debet sigla, quae designet speciem aereae pecuniae. Quod probabilius fit consideranti siglas Papyri III. χ̃κε expressas fuisse a Papyro IV casu genitivo χαλκοτυπωντων πεντε, tum in aliis Papyris metalli genus genitivo etiam casu enunciari χαλκοῦ, χαλκοῦ νομίσματος: iam quum eiusmodi genitivus pendere nequeat a nota numerica, pendebit utique a sigla intermedia, quae pecuniae speciem notat. Quamnam vero speciem esse censebimus? Drachmas ne? Sed, praeterquam quod sigla drachmarum differt ab ista, ridiculum foret damni aestimationem in Papyro XIII. fuisse aerearum drachmarum quinque, in Papyro Anastasy fuisse unica aerea drachma venditum cubitum 1. ¼. Neque etiam existimo μνᾶν minam esse intelligendam. Nam in ipsa siglae figura nihil video, quod vel remotam affinitatem habeat cum littera μ seu maiuscula, seu minuscula; praeterea, quum mina sit sexagesima pars talenti, minimus fuisset valor fundorum, quorum pretium in Papyris legitur, minimae fuissent mulctae, minima damnorum illatorum repensatio. Quare persuasum habeo siglam, quae inter χ et notam numericam iacet, notare *talentum*. Ipsa siglae forma conflata videtur ex linea superiore horizontali litterae τ, tum ex duobus cruribus divaricatis litterae λ, postremo inter utramque partem interiacet linea diagonalis, quae infernam litterae τ, et superiorem litterae λ partem quodammodo repraesentat, ita ut nexus duorum elementorum τλ iure referat vocem τάλαντον. Cave tamen, ne hanc siglam confundas cum nota millenarii numeri supra descripta; illa enim sublimis sese extollit supra lineam 2, haec humilis ac depressa ultra lineam non assurgit ϰ. Accedit quod talentum maiorem polliceatur pecuniae partem, quam mina, atque adeo rectius congruat cum locis, in quibus occurrit. Sed audio quid

dicant. Sollemnis est canon archaeologicus, talenti nomine argenteum esse intelligendum; hic porro aereum foret. Quidquid sit de aliis gentibus, haud quaero; aio Aegyptios consuevisse talentorum aereorum nomine designare certam aereae pecuniae summam. Re enimvera Polybius V. 89. 1. memoriae prodidit Ptolemaeum Philopatorem promisisse Rhodiis *ἀργυρίου τάλαντα τριακόσια . . . . . καὶ χαλκοῦ νομίσματος τάλαντα χίλια argenti talenta trecenta, et aereae pecuniae talenta mille;* idem historicus *lib.* XXIII. 9. 3. refert Ptolemaeum Epiphanem dono misisse Achaeis *διακόσια τάλαντα νομίσματος ἐπισήμου χαλκοῦ ducenta talenta pecuniae signatae aereae.* Vulgaria ergo erant talenta aerea apud Aegyptios, ita ut duplici talentorum genere uterentur, argenteo, et aereo.

Hanc veritatem confirmare lubet ex eo ipso, quod difficultatem facessebat numismatographis de talento Alexandrino disserentibus. Etenim Varro apud Plinium *lib.* XXXIII. 15. refert *talentum Aegyptium pondo LXXX patere.* Iam si numerum LXXX de libris interpreteris, quum ex Polybio et Galieno (vide eos apud Letronne *Considerations sur l'évaluation des monnaies* p. 100. sq.) constet talentum Atticum octoginta librarum pondo fuisse, Varro tradidisset talentum Aegyptium aequasse Atticum, quod falsum est. Quare de minis intelligendum est pondus LXXX; ita ut, quum Atticum talentum sexaginta pondo esset, Aegyptium constaret ex minis 80, atque adeo Aegyptium ad Atticum fuisse uti 8: 6. Quare si talentum Atticum respondet Gallicis, seu nostris libellis 5400, Aegyptium erit 7200 (vide Larcher *ad Herod.* III. p. 355). Appianus Alexandrinus lib. V. II. 35. ed. Schw. ait *ἔχει δὲ τὸ Εὐβοεικὸν τάλαντον Ἀλεξανδρείους δραχμὰς ἑπτακισχιλίας talentum Euboicum tenet drachmas Alexandrinas septem mille*, hinc colligitur Alexandrinum non multum distasse a nostris 6500. Alii vero memoriae prodiderunt valores plane diversos. Pollux enim *lib.* IX. *segm.* 86. talentum Aegyptiorum adaequat drachmis Atticis 1500, seu nostris libellis 1300. Didymus Alexandrinus (editus ab Angelo Mai ad calcem *Iliadis Fragmentorum* pag. 156, hic vero non distinguitur ab Herone)

testatur talentum Atticum esse τοῦ Πτολεμαϊκοῦ τετραπλάσιον *quadruplum Ptolemaici*, seu respondisse nostris 1350. Cleopatrae placebat drachmam Alexandrinam fuisse sextam drachmae Atticae partem, adeoque talentum Alexandrinum 900 libellas nostras valuisse. Tam maximum sententiarum divergium conciliaturi Numismatographi, distinguendum esse censuerunt talentum Aegyptium a talento Alexandrino; quae distinctio commentitia, et ridicula est, fere ac si Alexandria ab Aegypto distingueretur. Ego vero hoc divergium repeto ex duplici talenti genere. De argenteo intelligendam esse autumo traditionem Varronis et Appiani, de aereo illam Pollucis, Didymi, et Cleopatrae. Tandem neutri traditioni fidem adiungo certum ac definitum utriusque talenti valorem constituturus, quia inde sequeretur aes ad argentum fuisse, uti unum ad septem, quae minima foret proportio. Fuerit enim aes rarissimum priscis temporibus, at aevo Lagidarum, quorum numis aereis scatent Musei nostri, existimo vile evasisse, ita ut, si nostra aetate aes ad argentum est uti 1: 40, saeculis Lagidarum saltem fuerit uti 1: 30. Quare si, uti ex inferius dicendis constabit, talentum argenteum aeques libellis gallicis, seu nostris 6500, habebis talentum aereum par nostris 216, seu proxime 220.

Coniecturis indulgens aereum talentum comparavi cum nostris libellis 220. Hinc dona Ptolemaei Philopatoris, et Epiphanis sunt eximia, simulque probabilia; hinc multae talentorum quinque, viginti, et triginta quae in Taurinensibus Papyris occurrunt, haud sunt spernendae; hinc cubitus unus cum quadrante areae vacuae merito unico aereo talento stare potuit in Papyro Anastasy, et Onnophris in Papyro Grey sua iura in mortuos vendere potuit tribus aereis talentis. Atque haec a me hactenus disputata eo tantum spectant, ut aerei talenti pretium primis lineis designem, non vero definite constituam, iustum enim valorem colligere haud potui ex monumentis mihi quidem notis. Maximam huic disquisitioni lucem affundere potuisset Papyrus Parisiensis II, in quo certa frumenti quantitas divendita dicitur talentis aereis sex, et 4 fortasse minis;

sed quum, hiante Papyro, adsit lacuna in frumenti quantitate, omnis spes certi documenti concidit. Nova ergo monumenta atque integra sunt expectanda.

Interea iuvat nonnulla de talenti argentei valore addere, quibus viam sternam philologis meliora dicturis. In Papyro XIII. video olyrae mensuram, certe artabam, aestimari binis drachmis argenti. Didymi Alexandrini auctoritatem sequor testantis artabam aetate Ptolemaica respondisse modiis Romanis 4. $\frac{1}{2}$, at subinde ex consuetudine Romanorum eo dilapsam esse ut modios tantum 3. $\frac{1}{3}$ aequaret *ἦν γὰρ ἡ ἀρτάβη μοδίων δ' ς'', νῦν δὲ διὰ τὴν ῥωμαϊκὴν χρῆσιν ἡ ἀρτάβη χρηματίζει γ' γ''* (vide eum ad calcem *Iliadis Fragmentorum* edit. ab Ang. Mai); atque adeo de Romanorum temporibus accipio D. Hieronymi (*Comm. in Daniel* XI. 5. *in Esai.* V. 10), et Q. Rhemnii Palaemonis (in libello *de Pond. et Mens.*) loca, in quibus traditur artaba esse modiorum 3. $\frac{1}{3}$ (*a*). Deinde Appiani Alexandrini traditionem amplector, quae talentum argenteum Alexandrinum exaequat nostris libellis 6500, atque adeo drachmam nostris 1,08. Hisce praestitutis, sequitur artabam olyrae, seu modios Romanos 4. $\frac{1}{2}$ veniisse in Aegypto libellis 2,16, atque adeo Romanum modium stetisse in Aegypto centesimis 0,48. Atqui ternis sestertiis esse solebat Romae modius tritici (vide Letronne *Considérations sur l'évaluation des monnaies* p. 117), seu nostris 0,60 (vide laudatum Letronne *ibid.* p. 85.) Hinc patet fieri potuisse, ut Romani suo in foro vendiderint centesimis 0,60 illud frumentum, quod

(*a*) Haec non ita facile conciliantur cum iis, quae de artabis Cyrenensibus tradit Ptolemaeus Evergetes II. in libro VIII. *Commentariorum* (apud Athenaeum *lib.* XII. *p.* 549. *f.*) referens Cyrenensem Sacerdotem Apollinis coena excipientem collegas suos apponere singulis consuevisse *τρύβλια· τοῦτο δὲ ἐστὶ κεραμεοῦν ἄγγος ἐπιδεχόμενον ὡς εἴκοσιν ἀρτάβας, ἐν ᾧ πολλὰ μὲν τῶν ἀγριμαίων ἔγκειται πεπονημένα, πολλὰ δὲ σῖτα, καὶ τῶν ἡμέρων ὀρνίθων, ἔτι δὲ θαλαττίων ἰχθύων, ταρίχους τε ξενικοῦ πλείονα γένη* *catinos; vas fictile hoc est artabas fere capiens viginti, in quo positae multae carnes ferinae diligenter paratae, panificia multa, et domesticarum avium, marinorum piscium et peregrini salsamenti plura genera.* At quis credat vas fictile capiens viginti artabas, seu modios nonaginta tum edolari potuisse, tum mensae apponi?

centesimis 0,48 emerant in Aegypto, quae erat frumentaria Romanorum provincia. Patet etiam talentum Alexandrinum nedum augendum esse supra libellas nostras 6500, potius esse minuendum. Si enim cum Varrone talentum argenteum compares cum nostris 7200, atque adeo drachmam cum 1,20, sequeretur artabam constasse 2,40, et modium Romanum in foro Alexandriae fuisse 0,53; porro improbabile fit eundem modium veniisse Romae solis centesimis 0,60. Tandem magis magisque persuasum habebimus minuendum esse valorem talenti, si perpendamus, me olyram Papyri XIII. duabus drachmis aestimatam hucusque comparasse frumento, quum olyra non nobilius, sed vilius esset frumenti genus, adeoque viliore etiam pretio constare deberet, erat enim olyra nostrum *triticum spelta*, teste Plinio *lib.* XVIII. 10. *facilis fertilisque in Aegypto*, uti ad Papyrum XIII. dicam.

Quantum per monumenta hucusque cognita licebat, prima elementa tradidi, quibus Aegyptia moneta Lagidarum illustrari, eiusque valor quadantenus coniici possit. Maiora dabunt illi, quibus maiora monumenta consulere continget.

Lin. 48. Λημψομαι) De hac Aegyptia forma pro communi λήψομαι confer Sturzium *de Dial. Aegyptia* p. 130, 131. Tamen in Papyro sequenti lin. 16 scribitur ληψεσθαι.

Lin. 49. Τουτου δε) Libelli supplices solebant hac fere phrasi concludi. Sic in Obelisco Philarum τούτου δὲ γενομένου ἐσόμεθα . . . . εὐεργετημένοι; ita etiam desinit Papyrus VII. τουτου δε γενομενου, εσομεθα τετευχοτες του δικαιου, cui affinis est conclusio Papyrorum V et VI. γεινωμεθα . . . τετευχοτες της παρα σου αντιληψεως.

PAPYRUS IV.

Alt. 0,30. lat. 0,34 linearum 28.

Ετους μδ, μεσορη κε, εν Διοσπολει τηι μεγαληι της Θηβαϊδος. Εφ Ηρακλειδου Αγορανομου του Περιθηβας ομολογει Απολλωνιος ος και Ψενμωνθης Ερμιου του και Πετενεφωτου των απο Διοσπολεως της μεγαλης της Θηβαϊδος μισθοφορων ιππεων, Ψενχωνσει Τεεφιβιος, και Χονομπρηι Αρσιητιος, και Αριτρηι, και Πεχυτηι των Ωρου, και Μοντομητι Εριεως, τοις πεντε Χολχυταις κατοικουντων την αυτην πολιν, συνλελυσθαι αυτοις περι ης ενεβαλεν κατ αυτων εντευξεως εις το προκειμενον εν Πτολεμαϊδι αγγειον υπο Χρηματιστων, ων εισαγωγευς Αμμωνιος του μδL επειφ. περι τε οικιας απο πηχων δεκαεξ, πηχεις επτα ων τυγχανει τεθεισθαι αυτοις ωνην εγχωριαν προ της ομολογιας ταυτης, και περι υβρεως, και πληγων, και αδικιου χαλκοτυπωντων πεντε, και αλλων ων διεσαφει μετα ταυτα λη̣ψεσθαι δι αλλης εντευξεως το δικαιον, ως καθηκει, και μη επελευσεσθαι μητ αυτον Απολλωνιον, μηδ αλλον μηδενα υπερ αυτου επι τους περι τον Ψενχωνσιν, μηδ επ αλλον μηδενα των παρ αυτων, περι μηδενος απλως των δια της εντευξεως σημαινομενων καθ οντινουν τροπον. εαν δε επελθη ετερος τις υπερ αυτου, η τ εφοδος ακυρος εστω, και προσαποτεισατω τοις περι τον Ψενχωνσιν, η ωι αν επελθη των παρ αυτων, επιτιμον παραχρημα χ νομισματος χειχοσι, και ιερας τοις βασιλευσι αργυρου επισημου δραχμας τετρακοσιας, και μηθεν ησσον επαναγκον ποιειτω κατα τα προγεγραμμενα.

VERSIO.

Anno XLIV, die XXV Mesore, in Diospoli magna Thebaidis. Coram Heraclide Agoranomo Peri-Thebarum, Apollonius dictus etiam Psemmontes, filius Hermiae dicti etiam Petenephotis, ex mercenariis equitibus Diospolis magnae Thebaidis, ultro declarat Psenchonsi Teephibii, et Chonompre Arsietii, et Aritre, et Pechyte filiis Hori, et Montometi filio Eriei, Cholchytis quinque, incolis huiusce urbis, se composuisse cum ipsis litem, quam in eos intentaverat libello, quem iniecerat in vas Ptolemaide expositum a Chrematistis, quorum dux Ammonius, anno XLIV, mense Epiph. Tum de domo cubitorum sexdecim, ex quibus cubiti septem forte a Cholchytis ante hanc Declarationem empti fuerant contractu patrio more stipulato; Tum de contumelia, et damnis, et aereis quinque ob iniuriam solvendis, nec non de ceteris rebus, de quibus significaverat se postea, uti consentaneum erat, ius suum exquisiturum esse alio libello. Item declarat, neque se Apollonium, neque alium quemvis ipsius nomine molestiam ullam ullo modo renovaturum esse sive Psenchonsi eiusque gregalibus, sive alicui ex suis, circa ea, quae in libello enunciata sunt. Quod si alius quispiam eius nomine molestiam renovet, ausum irritum esto; et praeterea Psenchonsi eiusque gregalibus, aut illi ex suis, cui molestia renovata erit, continuo solvito mulctam aerei numi talentorum viginti, item solvito Regibus sacras drachmas quadringentas argenti signati, et nihilo tamen secius agito secundum ea, quae hucusque scripta sunt.

ADNOTATIONES

Lin. 1. Ετους μδ) In hoc Papyro Apollonius transigit cum Cholchytis litem, quam in praecedenti Papyro contra eos intentaverat. Annus igitur XLIV est Evergetis II.

Lin. 2. Εφ Ηρακλειδου) Nolui interpretari *quum esset Heraclides Agoranomus*. Neque enim Agoranomi munus aut insigne ac princeps, aut annuum fuit, ut Agoranomi, quemadmodum Archontes Athenis, ad epocham designandam nominarentur. Ceterum annus satis superque declaratus est in primo Papyri versu. Quare ἐπὶ verti *coram*, quam praepositionis potestatem illustrat Valckenaer *ad Eur. Hipp.* 213, atque Hermannus *ad Vigerum* p. 859 docens usurpari de iudice, coram quo lis agitur. Patet igitur contractus Aegyptios graeco more initos coram Agoranomo fuisse stipulatos, vide etiam Pap. VIII. lin. 6, ac quae disputavi ad Part. I. pag. 73.

Ibid. Του Περιθηβας) Quum saepe in Thebanis Papyris occurrant nomina Περιθῆβας, Παθυρίτης, et Θηβαΐς, ea videntur unica adnotatione illustranda. Equidem constituo Peri-Thebarum et Pathyriti nomina varias esse appellationes unius eiusdemque Nomi, in quo Thebarum urbs sita erat; Thebaidem vero complures Nomos complexam esse Etenim in Papyro I. anni LIV Evergetis, Heraclides dicitur επιστατης του Περιθηβας και επι των προσοδων του Νομου, idem porro Heraclides in Papyro VIII. est επιστατης και επι των προσοδων του Περιθηβας, ut pateat nomina του Νόμου et του Περιθηβας inter se commutari. Praeterea in Papyro VIII. lin. 10. 28. 53 pars provinciae Thebarum posita in occidentali littore Nili, in qua item erant Memnonia, dicitur η Λιβυη του Παθυριτου *Libya*, seu *pars Libyca Pathyriti*; atqui eadem pars appellatur η Λιβυη του Περιθηβας, sic enim in Papyro Grey εν Θυναβουνουν εν τηι Λιβυηι του Περιθηβας εν τοις Μεμνονειοις, et in Registro εν Θυναβουνουν εν τοις Μεμνονειοις της Λιβυης της Περιθηβας ταφοις. Eadem igitur Nomi pars trans Nilum modo audit η Λιβυη του Περιθηβας, modo η Λιβυη του Παθυριτου; iam quum nomina ο Περιθηβας et ο Παθυριτης permutentur,

liquet synonyma esse. Accedit quod, quum unus esset Nomi Ἐπιστάτης *Praefectus*, quandoque, uti in hoc Papyro, Praefectus dicitur Επιστατης του Περιθηβας, quandoque, uti Hermocles in Pap. XI, Επιστατης του Παθυριτου, et in Pap. VII. Parisiensi Διονυσιος Επιστατης του Παθυριτου. Quare in Papyris V, VI, VII Osoroeris aliique Pastophori Αμενωφιος του εν τοις Μεμνονειοις conquerentes iniurias sibi illatas ab Isidoro τωι προς τηι οικονομιαι των αργυρικων του Παθυριτου supplicem libellum obtulerunt Φομμουτι επιστρατηγωι και στρατηγωι της Θηβαιδος; scilicet Memnonia intra Pathyritem recensebantur. Hisce accedit ipsum nomen ὁ Περιθηβας. Si enim unicum agrum Thebarum indicare voluissent Aegyptii, utique scripsissent ἡ Περιθηβας, quemadmodum plurima paria exempla evincunt, in quibus vel χῶρα, vel γῆ subintelligitur. Atqui masculino genere dixerunt ὁ Περιθηβας; nisi ergo lateat ellipsis vocis νομός, scire velim quodnam substantivum melioris generis supplendum sit. Ceterum exploratum est omnia Nomorum nomina esse masculina.

Appellatio ὁ Περιθηβας graeca est, uti per se patet. Illa ὁ Παθυρίτης Aegyptia, et antiquissima. Nam regio Aegypti פתרוס *Pathros* occurrit *Genes.* X. 14. *Esai.* XI. 11. *Ierem.* XLIV. 1. 15. *Ezech.* XXIX. 14. XXX. 14. quo nomine superiorem Aegyptum seu Thebaidem intelligendam esse pluribus evincit Bochartus *Phaleg.* IV. 27. Porro Jablonskius *Panth. Aegyp.* V. 3. §. 5, et *Opuscul.* tom. I. p. 198. vocem rectissime ex Aegyptiis fontibus interpretatur, ut sit *regio meridiei.* Hinc Plinio V. 9. *Phaturites* nomus in Thebaide, et in Ptolemaeo *Pathyris* vicus mediterraneus prope Memnonem contra Thebas in occidentali Nili parte positus. Sed Pathyritis nomen, quod priscis temporibus late patebat ad omnem superiorem Aegyptum, usurpatum deinde fuit de praecipuo superioris Aegypti Nomo Thebano.

Sed cuivis perpendenti appellationes oppidorum provinciae Diospoleos, quae in Papyro VIII leguntur, facilis sese offert ea coniectura, qua existimet Libycam huius provinciae partem cognominatam fuisse Pathyriticam, illam vero orientalem dici consuevisse του Περιθηβας, ita ut Pathyritem a Peri-Thebis interfluens Nilus divideret.

Enimvero Papyrus lin. 9. oppida trans flumen posita in parte Libyca appellat κωμας της Λιβυης του Παθυριτου, et lin. 18. oppida in orientali littore collocata ait esse του Περιθηβας, tandem lin. 46. habet απο του Κοχλακος του Παθυριτου, quod sane oppidum situm erat in parte Libyca. Sed huic coniecturae, quam blande insinuat Papyrus VIII, adversantur illa verba Antigraphi Grey εν Θυναβουνουν εν τηι Λιβυηι του Περιθηβας εν ταις Μεμνονειοις, tum alia Registri εν Θυναβουνουν εν τοις Μεμνονειοις της Λιβυης του Περιθηβας, ut appareat Memnonia fuisse in parte Libyca Peri-Thebarum, adeoque vel huic parti communicatum fuisse nomen του Περιθηβας. Tamen Papyrus VIII. secum ipse cohaerens lin. 7 et 9. Memnonia esse dicit της Λιβυης του Παθυριτου, unde novum accedit argumentum, quo credamus nomina του Παθυριτου, et του Περιθηβας synonyma esse. Mihi vero reputanti Papyrum VIII. in eo esse, ut accuratissimis geographicis rationibus adeoque etiam nominibus provinciam Diospolis bifariam dividat, tum sibi semper constantem nomine του Παθυριτου designare littus occidentale Nili, et του Περιθηβας orientale, visum est data opera inductam esse hanc distinctionem; quare in eius causam paucis inquirendum esse duxi.

Exploratum est nomen Pathyriti Aegyptium esse, illud του Περιθηβας graecum; hoc ergo recens est et Ptolemaeorum aevo invectum, illud vero antiquissimum, et Geneseos libro coaevum. Quid porro graecos impulit, ut, quum unico Pathyriti nomine designaretur Nomus Diospolis, ipsi novum excogitarent, ac potissimum aptarent orae orientali? Existimo causam repetendam esse ex ipso prospectu, quem urbs Diospolis graecorum oculis offerebat. Ea enim posteaquam priscis temporibus tanta amplitudine excelluerit, ut Diodorus Siculus I. 45. affirmet ambitu moenium CXL stadia complexam esse, Strabo XVII. p. 1170. longitudinem eius in stadia LXXX extendat, quam Cato apud *Steph. Byzant.* p. 240. facit stadiorum CCCC, et Eustathius ad *Dion. Perieg. v.* 250. additis XX auget, tot tantasque perpessa est calamitates cum ab externis hostibus, ac praesertim a Cambyse omnia ferro flammaque

vastante, tum ob regiam sedem Memphim primum, deinde Alexandriam, translatam, ut Strabo l. l. haec scripserit de Diospoli νυνὶ δὲ κωμηδὸν συνοικεῖται· μέρος δ' ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, ἐν ᾗπερ ἡ πόλις· μέρος δ' ἐστὶ καὶ ἐν τῇ περαίᾳ, ὅπου τὸ Μεμνόνειον *nunc per vicos habitatur*; *ac pars eius in Arabia*, *ubi et urbs est*; *pars etiam in ulteriore regione*, *ubi Memnonium.* Quum ergo graeci nobilissimae urbis vestigia contemplantes viderent partem ex multis congregatis aedificiis coalescere, tum partem transfluvialem, tandem complures κώμας ita circum Thebas per oram orientalem dispersas, ut istae ruderibus et muris superstitibus testarentur, se ad antiquum urbis circuitum pertinuisse, varia nomina hisce partibus aptanda esse censuerunt. Primam dixerunt Διόσπολιν *Iovis urbem* ad graecam formam exigentes Aegyptiam appellationem *Ammonis domicilium.* Alteri parti nomen fecerunt *Memnonia* ex celeberrimo Memnonis monumento; Memnonia tamen omnino distinguebantur ab urbe, ut dicam ad Papyrum VIII. Tandem κώμας seu pagos per littus orientale dispersos novo nomine appellarunt Περιθήβας *loca Thebis finitima.* Persimili ratione graecas civitates et provincias, quae Thraciae accedebant, uti Bottiaeam, Chalcidicam, et Amphipolim communi vocabulo cognominarunt τὰ ἐπὶ Θράκης, vide Gattererum in *Comment. Gotting. ad ann.* 1783 *et* 84. *p.* 7. *sq.* Nomen, quod Graeci littori orientali imposuerunt, facile progressu temporis communicatum fuit parti Libycae. Quum enim victores multa in subactis provinciis, ipsaque etiam nomina mutare soleant, tum hoc de graecis Aegyptum occupantibus certissimum est, quemadmodum ex Deorum, urbium, magistratuum appellationibus ad graecas consuetudines novatis demonstrare possem.

Confeci, nisi mea me fallit opinio, Pathyriti et Peri-Thebarum nomine eundem Nomum intelligendum esse; ita tamen, ut Peri-Thebarum appellatio rectius aptetur orientali parti, et illa Pathyriti parti Libycae citra flumen. Par polyonymiae exemplum unius eiusdemque Nomi retuli supra ad Pap. III. lin. 34. Iam veniam ad nomen Θηβαΐδος.

Appellationem Θηβαΐδος ad plurimos Nomos patere varia argumenta suadent. Nam in Pap. Anastasy legitur Πτολεμαΐς της Θηβαιδος, et in Papyro Parisiensi (vide *Journal des Savans. Septembre* 1822. p. 558) εν Πτολεμαΐδι της Θηβαΐδος; atqui insignis Ptolemaidis urbs, quam Ἑρμίου vocant, sita erat in Nomo Thinite, atque inter hunc et Thebarum Nomum interpositi erant Nomi Diospolites, Tentyrites, et Coptites. Idem Parisiensis Papyrus praeterea commemorat του Παθυριτου της Θηβαΐδος, ut Pathyrites in Thebaide recensendus sit. Tandem Sacerdotes insulae Philarum regem rogant, curet, ut Lochus Epistrategus Thebaidis tandem aliquando eos vexare desinat; ergo insula Philarum in Nomo Ombite posita subdebatur Epistratego Thebaidis, seu, quod idem est, intra Thebaidis limites annumerabatur. Quare Thebais protendebatur saltem a Ptolemaide ad Philas, seu ad Aethiopiae fines, atque adeo hos saltem Nomos, Ombitem, Apollopolitem, Hermonthitem, Peri-Thebarum, Coptitem, Tentyriten, Diospolitem, Thinitem complectabatur; Strabo *lib.* XVII. *p.* 1135 affirmat Thebaidem ex antiqua Aegypti divisione decem habuisse Nomos, δέκα μὲν (νομοὺς) ἡ Θηβαῒς (ἔσχε). Thebaidem fuisse non geographicam sed militarem provinciam (gallice *division militaire*) iam dixi in Parte I. de Epistratego agens.

Lin. 8. Κατοικουντων) Ita indubie pro κατοικοῦσι, vel ἐκ τῶν κατοικούντων, quod anacoluthon tribuo ignorantiae vulgi graecam syntaxim corrumpentis.

Lin. 13. Τυγχανει τεθεισθαι) Phrasis revera insolens; eam sic illustro. Solet activa et media vox verbi τίθημι ita construi cum accusativo nominis, ut aequipolleat verbo, quod ex nomine ipso effingi posset. Sic τίθεσθαι βουλήν *Judic.* XIX. 30. pro βουλεύεσθαι *consilium inire*: τίθεσθαι τιμήν *Job.* XXXIV. 19. pro τιμᾷν *honore prosequi*: τίθεσθαι κατάλειμμα II. *Reg.* XIV. 7. pro καταλείπειν *relinquere*: τίθεσθαι παιδιὰν *Athen. Deipn.* VI. p. 223. pro παίζειν *ludere, iocari*: βλάβην τίθεσθαι *Aesch. S. c. Th.* 184. pro βλάπτειν *laedere*: τίθεσθαι σκέδασιν *Hom. Odyss.* I. 116: τίθεσθαι μάχην *Il.* 24. 402: in Pindaro νέμεσιν θέμεν *Ol.* 8. 114. pro νεμεσᾷν, et τίθεσθαι αἶνον

pro *αἰνεῖν*, atque alia bene multa. Quare iure constituere possum *τίθεσθαι ὠνὴν* idem esse ac *ὠνεῖν* *emere*. Semel ac eiusmodi constructio usurpari coepit active, accusativus etiam mansit in passiva voce; sic *Aristoph. Nub.* 72. *διφθέραν ἐνημμένος*, et *Soph. Trach.* 157. *δέλτον ἐγγεγραμμένην ξυνθήματα*, atque alia eiusmodi, quae vide in Matthiae *Gr. Gr.* § 421. sq., active enim dicitur *ἐνάπτειν διφθέραν*, *ἐγγράφειν ξυνθήματα*. Hoc tamen inter utramque vocem interesse debet discrimen, quod nominativus activae vocis fit dativus passivae, hoc modo, *τυγχάνει ἐμὲ θέσθαι ὠνήν* *ego forte emi*, et passive *τυγχάνει ἐμοὶ τεθεῖσθαι ὠνήν* *forte emptum mihi fuit*, vel *a me emptum est*. Superest vocabulum *εγχωριαν*, sed dubium esse nequit recogitanti ea verba extremi versus Inscriptionis Rosettae *τοις τε ιεροις, και εγχωριοις, και ελληνικοις γραμμασιν*; ibi enim *εγχωρια* dicitur *scriptura Demotica*, quo etiam nomine donatur in magna Stele bilingui Taurinensi *τοδε ψηφισμα αναγραψαι επι στηλην λιθινην τοις τε ελληνικοις και εγχωριοις γραμμασι* *hoc decretum inscribere in saxea Stele litteris Graecis et Demoticis*. Quamobrem *ωνη εγχωρια* erit *emptio patrio more inita*, seu *Demotico contractu stipulata*, non vero peracta secundum graecas consuetudines a Ptolemaeis inductas. Sine ulla ambage Demoticus contractus appellatur in Papyro Parisiensi II. lin. 5. *συγγραφὴ αἰγυπτία*, et in Papyro Parisiensi III. lin. 20. *συμβολαιον αιγυπτιον*, et in Papyris Parisiensibus V et VI. *αιγυπτια συναλλαγματα*. Quae quum ita sint, luculenter apparet duas fuisse rationes ineundi contractus, alteram *εγχωριαν* *patriam* atque Aegyptiam, alteram Graecam; quemadmodum etiam duae vigebant legislationes, Aegyptia et Graeca. Ad graecam consuetudinem scriptus est Contractus, quem expendo. Ad morem vero Aegyptium pertinent graeci Contractus Grey et Anastasy, in quibus hae formulae Aegyptiae potissimum adnotandae sunt; Protocollum recensens Regis, Reginae, et Sacerdotum nomina, qui illo anno sceptrum et sacras infulas tenerent. Absentia Protocolli iis verbis suppletur *μετὰ τὰ κοινά* *post communem formulam* in Papyro Grey; matris nomen additum paterno nomini; notae physicae, quibus persona cum

emptoris, tum venditoris, depingitur; tabellio Aegyptius plerumque scriba alicuius Collegii Sacerdotum.

Lin. 16. Πέντε) Desideratur sigla, quae talentum notat, ut sint quinque aerea talenta, vide me supra p. 20.

Lin. 20. Των παρ αυτων) Solet in Veteri ac Novo Testamento dici ὁ παρὰ τινός *qui apud aliquem est*, *suus*, *propinquus*, *amicus*, *familiaris*, *minister alicuius*, ac generatim ille, qui quocumque modo cum aliquo coniunctus est, vide Lexica Biel, et Schleusner. Ideo vero hac generali locutione usos esse existimo tabelliones graecos, ut universi omnino designarentur, quibus res stipulata obvenire posset seu iure haereditatis, seu iure emptionis.

Lin. 22. Επελθη ετερος) In Papyro erat επελθη η ετερος, repudiavi incommodum η, vel supple επελθη αυτος η ετερος τις.

Lin. 25. $\bar{\chi}$ νομισματος) Affinis est mulcta in Papyro VIII. lin. 36. constituta $\bar{\chi}$υ̊κλ . . . και ιερας τοις βασιλευσιν αργυριου επισημου δ$\bar{\tau}$ *aereorum numorum talenta triginta . . . et regibus sacrarum drachmarum argenti signati tercentarum.* Hinc colligere possumus Aegyptiam monetam, qua privati consueverant uti in contractibus, fuisse aereos numos, illam vero, qua mulctas et tributa pendebant regibus, fuisse sacras argenti signati drachmas.

Lin. 27. Επαναγκον) Par est locus Graeci Papyri Grey in Young *An Account of some recent discoveries* etc. p. 146. εαν δε τις σοι επελθηι περι αυτων αποστησω αυτον, εαν δε μη αποστησω, αποστησω επαναγκον, ubi quisque videt vertendum esse, *quod si (lubens) non depellam*, *depellam necessario*, seu iuridica necessitate coactus. Hic vero interpretor, etiam post solutam mulctam *necessario agito secundum praescripta*, seu ea omnia tenebitur adimplere quae scripto mandata sunt. Sola igitur desinentia επαναγκον differt a communi ἐπαναγκές, quod adverbiali modo sumi constat apud omnes.

PAPYRUS V.

Alt. 0,32. lat. 0,1. linearum 28.

Lacunis scatens.

Φομμουτι σ(υγγε)νει, και επι
στρατηγω(ι, και) στρ της Θηβ,
παρα Οσορο(ηριο)ς και των
αλλων πα(στ)οφορων Αμε
νωφιος
των περι (τ)α Μεμνονεα.
αδικουμεν(οι) ου μετριως,
κ(αι) διασει(ομε)νοι υπο Ισιδω
ρου του προς τηι οικονομι
των αργυρικ του Παθυ
ριτου, την επι σε κατα
φυγην πεποιημεθα,
ινα τυχωμεν βοηθειας.
Ο γαρ σημαινομενος Ισιδω
ρος οιεται πραξειν ημας
τα μη καθηκοντα παρα
βας τα επα(ν)ωθεν υπο
(των μεγιστων) βασιλεων προσ
(τεταγμενα περι του) μηθεν και
νιζειν. (αξι)ουμεν εαν φα(ι)
νηται συ(ν)ταξαι γραψαι
οις καθηκ(ει) μηθεν ημας
πρασσειν . . . . . μηδε
παρενοχλειν ιν ανεμπο
διστοι υπαρχοντες γεινω
με(θ)α προς τοις καθ εαυτ(ους)
τετευχοτες της παρα
σου (α)ντιλη(ψ)εως
(ε)υτυχει

VERSIO

Phommuti Cognato, et Epistratego, et Stratego Thebaidis, Osoroëris, aliique Pastophori Amenophis in Memnoniis. Haud mediocri iniuria affecti, et vexati ab Isidoro Procuratore argentariorum proventuum Pathyriti, ad Te confugimus, ut opem consequamur. Enimvero praedictus Isidorus vult a nobis exigere quae minime decent, praetergressus praecedentia decreta maximorum Regum, quibus cautum est, ne quid innovetur. Quare petimus, si tibi videbitur, ut iubeas litteras dari ad eos, quibus par est, iisque caveas, ne aliquid a nobis exigatur, ullaque molestia afficiamur, ut, omni remoto obstaculo, rebus nostris vacemus, tuam opem consecuti.

Vale

PAPYRUS VI.

Alt. 0,32. lat. 0,09. linearum 35.

Lacunis scatens.

Φομμουτι συγγενει και επι
στρατηγωι και στρατηγωι
της Θηβαιδος
πα(ρα) Οσορoη(ρι)ος και των
αλλ(ω)ν παστ(οφ)ορων Αμενω
φιος (το)υ εν το(ις) Μεμνονεοις.
αδι(κο)υμεν(οι ο)υ μετριως
και (δι)ασειομε(ν)οι υπο Ισιδω
ρου τ(ο)υ προς τ(η)ι οικονομιαι
των (α)ργυρικ̅ του Παθυρει
του (τ)ην επι σ(ε) καταφυγην
πεπ(ο)ιημεθ(α), ινα τυχω
μεν (β)οηθεια(ς). ο γαρ σημαι
νομ(ε)νος Ισιδωρος ο(ιεται)
ζημιοπρακτησειν ημας.
τα μη καθη(κ)οντα παρα
βας (τα ε)πανωθεν υπο των
βασι(λε)ων προ(στ)εταγ(μενα)
μη(θε)ν καιν(ιζει)ν. αξιου
(μεν, εα)ν φαιν(η)ται, συντα(ξαι)
γραψ(α)ι οις καθηκει μη
θεν ημας πρασσειν μηδε
παρενοχλειν, ιν ανεμ
ποδιστοι υπαρχοντες
γεινωμεθ(α) προς τοις
καθ εαυτου(ς) τετευχο
τες της παρα σου αντι
ληψεως
ευτ(υχ)ει

VERSIO

Phommuti Cognato, et Epistratego, et Stratego Thebaidis, Osoroëris aliique Pastophori Amenophis in Memnoniis. Haud mediocri iniuria affecti, et vexati ab Isidoro Procuratore argentariorum proventuum Pathyriti, ad Te confugimus, ut opem consequamur. Enimvero praedictus Isidorus vult a nobis exigere mulctas plane indebitas, praetergressus praecedentia decreta Regum, ne aliquid innovetur. Quare petimus, si Tibi videbitur, ut iubeas litteras dari ad eos, quibus par est, iisque caveas, ne aliquid a nobis exigatur, ullaque molestia afficiamur, ut, omni remoto obstaculo, rebus nostris vacemus, tuam opem consecuti.

Vale :

ερμ(ο)κ(λ)ει	Hermocli
μη πρ(ο)σεχεις (τ)οις επιχρειων	Ne attendas officialibus, qui
καινιζειν τι, μη(δ)ε αυτους αλλασσειν,	quidpiam innovant, neque ni-
αλλα τους ειθι(σμ)ενους πρασσε(σθαι)	hil mutare debent, sed quae
τουτους πρασσ(ειν)	exigi solent, ea exigantur.
εκρειναμεν μη . . αρξαι Lς παυνι $\bar{\kappa}$	Iudicavimus non suppetere.
	Anno VI. Payni XX.

PAPYRUS VII.

Alt. 0,3. Lat. 0,16. linearum 20.

Φομμουτι συγγενει και επιστρατηγωι και στρατηγωι
της Θηβαιδος, παρα Οσορηριος και των αλλων
Αμενωφιος του εν τοις Μεμνονειοις, αδικουμενοι
ου μετριως και διασειομενοι υπο Ισιδωρου του προς
τηι οικονομιαι του Παθυριτου την επι σε καταφυ
γην πεποημαι ινα τυχωμεν βοηθειας. του γαρ
σημαινομενου Ισιδωρου επικεχειρουντος ζη
μιοπρακτησειν ημας τα μη καθηκοντα, παρα
βας τα επανωθεν τα υπο των μεγιστων βασι
λειων προστεταγμενα περι του μηθεν και
νιζειν· αξιουμεν, εαν φαινηται, συνταξαι
γραψαι οις καθη(κ)ει μηθεν ημας πρασσειν, μηδε
παρενοχλειν, οπως ανεμποδιστοι οντες δυ
νωμεθα προς τοις καθ εαυτους γενεσθαι. τουτου
δε γενομενου εσομεθα τετευχοτες του δικαιου
ευτυχει

Ερμοκλει. μη προσεχειν τοις επι χρειων τετα
γμενοις και(νι)ζειν τι, μηδε πρασσειν παρα τους
εξ αρχης εθ(ισ)μους τους σημαινομενους πασ(το)φορους
Lς παυνι $\bar{I\alpha}$

VERSIO

Phommuti Cognato, et Epistratego, et Stratego Thebaidis, Osoroëris aliique Amenophis in Memnoniis. Haud mediocri iniuria affecti, ac vexati ab Isidoro Procuratore Pathyriti, ad Te confugimus, ut opem consequamur. Enimvero praedictus Isidorus aggressus est mulctas plane indebitas a nobis exigere, praetergressus praecedentia decreta maximorum Regum, quibus cautum est, ne quid innovetur. Quare petimus, si Tibi videbitur, ut iubeas litteras dari ad eos, quibus par est, iisque caveas, ne aliquid a nobis exigatur, ullaque molestia afficiamur, ut, omni remoto obstaculo, possimus rebus nostris vacare. Quod ubi fiat, ius nostrum consecuti erimus.

Vale.

Hermocli. Haud competere iis qui negotiis sunt praefecti, ius innovandi quidpiam, aut exigendi praeter veteres consuetudines a praedictis Pastophoris

Anno VI. Payni XI.

ADNOTATIONES.

Quum tres hi Papyri sint exemplaria paullo inter se discrepantia unius eiusdemque libelli, omnes unica illustratione enarrabo. Postremum vero, utpote absolutiorem, seligam veluti textum, ad quem ceterorum variantes lectiones exigam.

Lin. 1. Φομμουτι) De eo, eiusque muneribus dixi ad Part. I. p. 67.

Lin. 2. Και των αλλων) Recte V. et VI. addunt παστοφορων.

Lin. 3. Αμενωφιος) Ex Canone Manethonis constat complures fuisse reges Aegyptios nomine *Amenophis* appellatos, ac praesertim octavum regem XVIII.ae Dynastiae, qui prae ceteris inclaruit tum virtute bellica, tum studiis pacis (vide Champollionium *Précis du Syst. Hiérogl.* p. 237, et *Première lettre relat. au Musée de Turin* p. 40) atque ut a ceteris homonymis secerneretur, dici consuevit

Amenophis IIus; constat etiam Aegyptios reges fuisse effigie, templis, aliisque sacris honoribus cultos. Quare *Pastophori Amenophis* illi intelligendi veniunt, qui in honorem regis Amenophis sacra sua munera obibant. Quod si verum est, patet etiam Amenophim peculiare habuisse templum in Memnoniis, quod certe dicebatur Ἀμενώφιον, vel Ἀμενωφιεῖον. Iam quum in uno Museo Taurinensi sint stelae supra viginti nomine regis *Amenophtep* inscriptae, aliaque bene multa a Thebis advecta monumenta occurrant in Europae Museis, quae eiusdem regis nomen referant, merito Cl. Collega idemque amicus iucundissimus Gazzera in *Descrizione dei Monumenti Egizi del Regio Museo contenenti leggende Reali* p. 31. 32. suspicatur universa haec monumenta uni eidemque Amenophio Memnoniorum accepta esse referenda. Utinam vero monumentorum inventores diligentissime adnotassent locum, in quo unumquodque detectum fuit! Multa quae ad geographiam, vel topographiam pertinent certissime affirmare possemus. Sed ubicumque demum stelae Musei Taurinensis, nomine Amenophtep insignitae, fuerint detectae, certum tamen est, iudice Champollionio in laudato *Précis* p. 237. ea rudera, quae circumstant duobus colossis, quorum alter dicitur vocalis Memnonis statua, ac protenduntur ad occidentem usque ad radices Libyci montis, esse Memnonium, seu palatium Amenophis II. Nam in iis passim inscriptum offenditur nomen huiusce regis; idem etiam praefert statua a Belzonio detecta inter ruinas Memnonii prope colossum Memnonis. Quum ergo constet Amenophim II, qui a Graecis *Memnon* dicebatur, teste Manethone, habuisse Pastophoros in Memnoniis, ac Memnonis palatium in iisdem Memnoniis fuisse ab Amenophi II. excitatum, videor non sine maxima probabilitate constituere posse, palatium Memnonis dictum fuisse *Amenophium*, ibique Amenophim sacros honores obtinuisse post mortem.

Quae si vera sunt, valde implexa oritur quaestio. Si Amenophim II. graeci Memnonem appellarunt, unde Amenophio nomen fuit Memnonium, vel palatium Memnonis, et ipsa Libyca pars Thebarum

dicta est τὰ Μεμνόνεια, cur Osoroëris in Papyro scripsit Αμενωφιος του εν τοις Μεμνονειοις? Nonne vel omnia graece scribere debuisset Μεμνωνος του εν τοις Μεμνονειοις, vel omnia Aegyptie Αμενωφιος του εν τοις Αμενωφιοις? Quaestionem proposui, quae tunc recte dissolvetur, quum compertum habebimus quid sibi velint voces Μέμνων, et Μεμνόνεια, utrum scilicet graecae sint, an aegyptiae; quae notitia ex lectione Papyrorum Aegyptiorum expectanda est. Memnonia quidem occurrunt in graeco Antigrapho Grey, quare demoticos huius vocis characteres perquisivi in Papyro Parisiensi, atque eos deprehendi, qui, me quidem iudice, notent *urbem mortuorum*. Legi enim linea nona extrema, et initio lineae decimae *Thynabunun in urbe mortuorum Pathyriti*, ut fere credam unumquemque Nomum, vel insignem quamvis urbem sua habuisse Memnonia, in quibus mumias conderet. Tum persuasum habeo Memnonia vocem esse Aegyptiam, puta ⲙⲁ ⲛ̄ⲙⲟⲩ *locus mortuorum*, vel ⲙⲟⲛⲉ ⲛ̄ⲙⲟⲩ *mansio mortuorum*, vel ⲙⲁ ⲛ̄ⲛⲟⲩⲛ *locus abyssorum*, *cryptarum*, quomodo ⲛⲟⲩⲛ *abyssus* saepe vidi in Codice Taurinensi, qui Sapientiae et Siracidis libros Thebaicos sistit. Interea Graeci ex Homerica traditione edocti fuisse Memnonem Tithonis et Aurorae filium, Aethiopum principem, Achillis manu ad Troiam interemtum, quum eum omnino vellent in Aegypto invenire, atque audirent vel Libycam Thebarum partem, vel huius partis regionem aliquam ab Aegyptiis appellatam eo nomine, quod ad sonum μέμνων valde accederet, continuo rati suum invenisse Memnonem, donarunt hoc nomine spectabile monumentum, quod in Libyca illa parte universos in sui admirationem rapiebat, scilicet vocalem Colossum, deinde proximum 'Αμενώφιον dixerunt Μεμνόνειον seu palatium Memnonis, tandem universae Libycae parti Thebarum nomen fecerunt plurali numero τὰ Μεμνόνεια. Quemadmodum vero nomina chorographica, quae solemniter a regni administris consecrantur in actibus publicis, facile obtinent atque omnibus progressu temporis probantur, uti ὁ Περιθῆβας facile obtinuit, penitusque delevit Aegyptium ὁ Παθυρίτης; sic nomen τὰ Μεμνόνεια facile ab omnibus receptum

fuit. At quum nomina τὸ Μεμνόνειον, et ὁ Μέμνων, quibus Amenophis eiusque sacrum palatium designaretur, non ad rem civilem pertinerent, sed sacram, perrexerunt Aegyptii, maxime Sacerdotes, dicere Ἀμενώφιον, et Ἀμένωφις. En cur Osoroëris noster scripserit Αμενωφιος του εν τοις Μεμνονειοις. Primam vocem Ἀμενώφιος religio, quam Ptolemaei reverebantur, consecraverat, atque in sacris Aegyptiis monstrosa inauditaque fuisset phrasis *cultus Memnonis*; alteram vocem Μεμνονείοις usurpare debebant Pastophori in libello supplici, si a Ptolemaici regni administris intelligi volebant; interea vel Μεμνόνεια scribentes non longe discedebant ab Aegyptio vocabulo valde affini, quod ad sonum attinebat. Ceterum adeo falsum est Amenophim II. fuisse Memnonem Homericum, ut huic synonymiae refragentur rationes chronologicae. Nam Troianum bellum susceptum fuit circa annum 1200 ante Chr. natum, Amenophis vero regnavit anno 1687, vide Champollionium in *Première lettre relat. au Musée de Turin* p. 107. Quamobrem Memnonis nomen Amenophi factum a Graecis, aliunde repetendum est.

Sed quando de Memnoniis dissero, ac de iis frequens occurrit mentio in Papyris, iuvat hic colligere quidquid ad ea illustranda suppeditant monumenta Aegyptia.

1.° Memnonia omnino distinguebantur ab urbe Diospolis. Nam Tasemis in Papyro XI. profitetur duas sibi esse domos, quarum altera εν Διοσπολει τηι μεγαληι *in magna Diospoli*, altera εν τοις Μεμνονειοις *in Memnoniis*. Praeterea duo Paraschistae in Papyro VIII. urbem ac provinciam Peri-Thebarum inter se ita dividunt, ut alteri Diospolis urbs obveniat, alteri Memnonia. In Papyro Grey Onnophris dicitur Χολχυτης των Διοσπολεως της μεγαλης (vide me ad Part. I. pag. 81), et in Papyro IV. Parisiensi lego .... οροηριος το. ωρου χολχυ .... ων εκ των μεμνονειων suppleo παρὰ Ὀσοροήριος τοῦ Ὥρου Χολχύτου ἀπὸ τῶν ἐκ τῶν Μεμνονείων *ab Osoroëri Hori filio Cholchyta ex iis Memnoniorum*. Recte porro Memnonia ab urbe distinguebantur, nam inter utramque partem medius fluebat Nilus.

2.° Amenophium, seu palatium idemque templum Amenophis II. erat in Memnoniis, uti paullo supra demonstravi.

3.° Multa sepulchra privatorum hominum in Memnoniis erant; nam Antigraphum Grey commemorat cadavera condita εν Θυναβουνουν εν τοις Μεμνονειοις της Λιβυης του Περιθηβας ταφοις *in Thynabunun in Memnoniis sepulchris Libyae Peri-Thebarum;* nisi potius velis haec sepulchra constituere in Libyco monte, qui humana arte cavatus permulta tenebat hypogaea ad mortuos condiendos concinnata, atque sic ipse Libycus mons intra Memnonia concludendus esset.

4.° In solis Memnoniis poterant ex legibus Taricheutae, seu cadaverum salitores, habitare; quod etiam de Cholchytis fuisse priscis temporibus statutum persuasum habeo, vide me in Part. I. p. 123. Coriarii Memnoniorum occurrunt in Papyro Anastasy. Quare colligere licet ad Memnonia detrusas fuisse artes immundas, et quidquid politioribus hominibus facile stomachum movisset. Sed quum honestissimae etiam domus essent in Memnoniis, uti mox dicam, sic palatia ac templa, auguror immundas artes fuisse intra certam ac definitam Memnoniorum regionem conclusas, fortasse ad radices Libyci montis.

5.° Numerabantur etiam domus honestissimae; sic pater Tasemios vir Cholchyta in Papyro XI. domum in Memnoniis possidebat. Coriariorum domus posita in australi parte Memnoniorum εν τωι απο νοτου μερει Μεμνονεων (lin. 9. Papyr. Anastasy), adeoque circa Medinet-Abu, affinem habebat ρυμην βασιλικην *viam regiam*, quae fortasse ferebat ad Medinet-Abu, seu ad regiam Ramessis Meiamun.

6.° Studium, quo Cholchytae domicilium suum a Memnoniis ad Diospolim transferre curabant, evincit Diospolim longe honestiorem Memnoniis sedem habitam fuisse.

Ex hucusque dictis generatim colligi potest, Memnonia prisca aetate sedem fuisse honestissimam, ita ut Amenophis et Ramses palatia in iis sibi extruxerint; at, semel ac urbs incolis viduata fuit, omnes praeoptasse domicilium Diospolis, in eamque se ex

Memnoniis transtulisse, ita ut Memnonia Lagidarum aevo domicilium evaserit inferiorum classium. Atque haec ex Papyris Graecis mihi videbantur constitui posse de Memnoniis.

Ibid. Του εν τοις) Ita etiam VI. At V. των περι τα Μεμνονεα, ut designari videantur *Pastophori Memnoniorum*, quae appellatio incerta et vaga est.

Lin. 5. Του προς τηι οικονομιαι του Παθυριτου) Munus latissime patens, atque incertum, quod ad omnes, qui varias Pathyriti rationes procurabant, aeque pertinere potest. At illud definiunt Papyri V et VI. legentes του προς τηι οικονομιαι των αργυρικων του Παθυριτου. Mihi vero reputanti quid post αργυρικων *argentariorum* esset subaudiendum, opportune in mentem venit Inscriptio Rosettae, ter accuratissime distinguens proventus, atque impensas hoc modo, lin. 11. αργυρικας τε και σιτικας προσοδους *proventus argentarios et frumentarios*, lin. 14. συνταξεις σιτικας τε και αργυρικας *taxationes frumentarias et argentarias*, et lin. 21. δαπανας αργυρικας τε και σιτικας *impensas argentarias et frumentarias*; eadem distinctio, quam natura soli Aegyptii necessario praecipit, vigebat etiam serioribus Galbae temporibus, nam altera Inscriptio Oasitica lin. 47. commemorat τελεσματα σιτικα και αργυρικα *tributa frumentaria et argentaria*. Quare subaudiendum existimo προσοδῶν, quae ellipsis quotidiano usu frequentata erat. Scilicet quum duplex esset proventuum genus, aliud ex frumento, aliud ex argento, duo etiam viri a Ptolemaeis praefecti fuerant, qui exactionem horum proventuum singillatim curarent. Porro ad proventus argentarios pertinuisse etiam mulctas, quae irrogabantur, tum ex hoc Papyro discimus, tum ex iis, quae dixi ad Papyr. IV. lin. 25, constat mulctas ac tributa consuevisse regibus solvi drachmis argenti.

Lin. 6. Πεποημαι) Lege uti in V et VI. πεποιημεθα. Formam ποέω pro ποιέω alii Atticam esse contendunt, alii negant, vide Maittairium *de Dialectis ed. Sturz* p. 12. sq. et Koënium, Schaeferum, ac Bastium ad Gregorium Corinth. p. 75. Hermannus in *Praefat. ad Eurip. Hecub.* p. XXV. praecipit scribendum esse ποῶ in comicis

pro ποιῶ ubi prior syllaba corripienda sit. Alexandrinos hac etiam forma delectatos esse quisque videt; hinc etiam in Pap. XI. lin. 10. ποησαντος, et lin. 13. αντιπεποηται

Lin. 7. Του γαρ) Quam proba syntaxi hic genitivus cohaereat cum sequenti nominativo παραβας, vident omnes. Rectius V et VI. habent ο γαρ σημαινομενος Ισιδωρος . . . . παραβας.

Ibid. Επικεχειρουντος) In V. est οιεται πραξειν ημας τα μη καθηκοντα. De potestate verbi οἴομαι *postulo*, *volo*, *iubeo*, vide Schweighauserum *Ind. Polybii* ad v. Eundem etiam consule de constructione πράττειν τινὰ τί *exigere ab aliquo rem aliquam;* concinit et prima Inscriptio Oasitica edita a Letronnio lin. 28. τὸ δεκάπλουν ἐγὼ ἐκπράξω οὗ αὐτοὺς ἔπραξεν τὸν Νομόν *ego decuplum exigam eius, quod ipse a Nomo exegit.* In VI. est οιεται ζημιοπρακτησειν. Eustathius ad *Il.* E. p. 438. illustrans vocem ἐπέπληγον, ait eiusmodi formam esse Syracusanam, idemque ad *Odyss.* Θ. p. 308, addit etiam Ionicam. Theocritea porro sunt πεφύκω *Idill.* XV. 1. πεποίθω V. 28. πεπόνθω X. 1. δεδοίκω I. 16. XV. 58. ἐκλελάθω I. 63. Nostrum επικεχειρουντος declarat Alexandrinis etiam arrisisse eiusmodi formas praesentis ex perfectis effictas. Verbum ζημιοπρακτέω inauditum quidem est, sed ad analogiam compositum. Iam, quum ζημία non tantum *mulctam* pecuniariam notet, verum etiam *tributum* apud LXX. Interpretes IV. *Reg.* XXIII. 33. anceps haerebam utram significationem in versione admitterem; subinde vero recolens ex graecis Registris constare vectigalia τὰ τέλη redempta fuisse a publicanis, primam interpretationem recepi.

Lin. 9. Τα υπο) Articulus τα deest in V et VI.

Ibid. Μεγιστων) Abest a VI.

Lin. 10. Περι του μηθεν) Voces περι του absunt a VI.

Lin. 13. Οπως) Ινα Pap. V et VI. Iidem aliam ab isto sequuntur lectionem in ceteris ad finem usque.

Lin. 17. Ερμοκλει) Phommutes Strategus Thebaidis libellum sibi oblatum hisce verbis mittit ad Hermoclem, quem 'Επιστάτην Praefectum Pathyriti fuisse credo; eumque simul monet quid leges in

hac facti specie iubeant. Hi versus in hoc Papyro ab eadem manu scripti sunt, quae libellum superiorem exaravit; at in VI. a diversa manu profecti sunt, quam quae ceterum libellum descripserat. Quare Papyrum VI. habeo uti archetypum, Septimum vero uti alterum exemplar.

Ibid. Μη προσεχειν) Papyrus VI. μη προσεχεις modo indicativo, quod iure mireris; praeterea μη προσεχεις (vel προσεχειν) τινὶ καινίζειν *non esse attendendum alicui innovare*, pro *nemo innovare potest* phrasis est maxime insolens; nisi dicamus προσέχειν verti etiam posse *concedere*, *permittere*, quum quandoque notet *assentiri*, *assensum praebere alicui*. Quare suspicor Phommutem Strategum scribere voluisse μὴ προσήκειν *non competere*, et affinitate soni deceptum scripsisse μὴ προσέχειν, quod erratum viro Stratego facile condonari potest.

Ibid. Τοις επι χρειων) Οἱ ἐπὶ τῶν χρειῶν plus semel apud LXX. Interpretes sunt *praefecti negotiis*, *officiales*. Hic Papyrus ellipsin supplet Papyri VI. addens τεταγμενοις.

Lin. 18. Μηδε πρασσειν) Verba VI. μηδε αυτου αλλασσειν incertissima esse fateor, nullam tamen probabiliorem lectionem ex litterarum lineamentis, quae supersunt, exsculpere potui.

Lin. 19. Εθισμους) In Papyro VI. legere videor ειθισμενους; fortasse subaudiendum φόρους.

Lin. 20. Παυνι ια) Haec scripsit Hermocles die XI. Payni; sententia vero lata est die XX. eiusdem mensis, nam VI. tertia manu a duabus primis plane diversa habet εκρειναμεν μη . . . Lς παυνι κ. Pronum est mutilam vocem . . . αρξαι, si tamen bene legi, supplere, ut sit υπαρξαι; at phrasim iuridicam ellipticam μὴ ὑπάρξαι *non esse*, *non suppetere* iurisprudentibus aestimandam relinquo.

PAPYRUS VIII.

Alt. 0,29. lat. 0,34. linearum 9●.

Lacunis scatens.

Ηρακλειδει των σωματοφυλακων, και Επιστατηι, και επι των προσοδων του Περιθηβας

παρα Πετενεφωτου του Πετενεφωτου παρασχιστου των απο Διοσπολεως της μεγαλης. αδικουμαι υπο Αμενωθου του Ωρου παρασχιστου. του γαρ ναL παυνι ιγ εθεμεθα προς εαυτους ομολογιαν δια του εν τηι Διοσπολει ξενικου Αγοραν(ομ)ιου, δι ης ο μεν Αμενωθης ομολογει μοι α(φι)στασθαι απο της των (Με)μνονειων κα . . . . . . υνεως και των Τνεμπαμηνεως, και Σεπινποαρ, και πα . . . . . . και Μεσθβου κωμων τ(ης Α)ιβυης του Π(αθ)υριτου, και Π(ω)εως, και Πηι, και Πμυχεως α(λ)λων κωμων της Λιβυης (του Κοπ)τιτου και της των εν τηι Διοσπολει ιερε(ων) του Αμμωνος (και) των τουτων δουλων, και της του Αμμον(ιειο)υ Διοσπολεως και Φωηρεως, και της των παρεπιδημουντων και (κα)τοικουντων ε(ν τ)αυτα(ις) ξενων παρασχιστειας θεραπειας (Κα)τα ταυτα δε εμου ομολογουντος (και) τωι Αμενωθηι αφιστασθαι απο της των εν τηι Διοσπολει, πλην η των ιερεων του Αμμωνος και τω(ν του)των δουλων καθαπερ προγεγραπται, και της των Κεραμειων, και Θμονονκοιφεως, και Γαβδι, και Προιττιβιωνος του Περι θηβας, και Ποενπωεως του Κοπτιτου, και της των παρεπιδημουν των και (κατοι)κουντων εν ταυταις ξενων ομοιως παρασχιστειας θεραπειας. Αμφοτεροι δε προσομολογουμεν μη θεραπευσειν τους εκ των αλληλων αποδιεσταλμενων (κω)μων, μηδε τους δ(ουλευοντ)ας και εργαζομενους εν ταις εκασ(των) κωμαις, μηδε (λογ)ευσειν μητε οσπριον μητε οινον μηδ α(λλο μ)ηθεν καθ ον τινουν τροπον, μηδε μην ομοιως θεραπ(ευσ)ειν (μ)ηδε λογευ (σε)ιν τους κατοικουντας εν ταις αλληλων κωμαις απο του μL (ει συνεβη) εις τας ιδιας αυτων μετοικισθηναι· μηδε εμοι εξειναι (τα μετα)φερομενα εκ Ποενπωεως εις Πωιν της Λιβυης του

(Κοπτ)ιτ(ου σω)ματα δια το μη (υπ)αρχειν εν τηι σημαινομενηι κωμηι (θεραπευειν). ομοιως δε μηδε τωι Αμενωθηι εξειναι θεραπευειν τα (εκτο)ς Πoονπωεως αποθνησκοντα σωματα εμμενειν δε αμφοτεροις εν τοις προς εαυτους διωμολογημενοις, και μη εξειναι (ημιν παρα συγγραφειν τι των (πρ)ογεγ(ρ)αμμενων . ει δε μη την (εφοδο)ν ακυρον ειναι και προσαποτ(ει)σαι τον παρασ(υγγ)αφουντα τ(ωι) εμμενοντι καθ ο αν μερος η ειδος παρασυγγραφης ηι επιτιμον παραχρημα χ̄υ̊κλ, και το βλαβος κατα τον νομον, και ιερας τοις β(ασιλ)ευσιν αργυριου επισημου δτ, και μηθεν ησσον κυρια ειναι τα διωμολογημενα, καθοτι ευδοκουντες προς εαυτους συνεχω(ρησ)αμεν.

(Τουτ)ον δε τον τροπον ομολογιας εχουσης, ο Αμενωθης (αρ)χην της αδικιας συνστησαμενος προτερον μεν απογενομενου εν τωι Αμμωνιειωι Παμωνθου υιου· τινος μετα (δ)ε τουτων εγ Λατων πολεως μετενεχθεισης σκυτεως τινος θυγατρος· εξ Ερμων (θεω)ς δε Φιλοκλεους υιων δυο, ενος μεν μετενεχθεντος νεκρου εις το Αμμω(νιειον), αλλου εν τωι Αμμωνιειωι τελευτησαντος· ομοιως δε και Συιβλαιτος των απο του Κοχλακος του Παθυρ(ιτου) μετενεχθεντος εις το Αμμωνιειον του υιου αυτου και εν τωι Αμμωνι(ει)ωι τελευτησαντος, ουσης μιας των εμοι αποδιεσταλμενων κωμων, και εμοι καθηκοντος τουτους θεραπευσαι, ο Αμενωθης εθεραπευσεν αυτους παρα το καθηκον. νυνι δε και εν τωι βL αθυρ Εριεως του Αρβηκιος, ος ην το(πο)γραμματευς Πωεως της Λιβυης τ(ου Κοπ)τιτου, ουπερ και την κατοικι(αν ειχ)εν και τα υπαρχοντα αυτωι παντα εστιν, και τροπον τινα (επιστα)του ταλλα της Πωεως και των αλλων των εμοι αποδιεσταλμενων κωμων, και μαλιστα των εν τηι Πωει πραγματικων, και το πρεσβειον εχοντος παρα τους α(λλους) του(ς) εν τηι κωμηι

κατοικουντας, και (μεγα) τι διαφερον
τος, κατα δε τινα συν(τυχει)αν τελευ
τησαντος αυτου εν τηι Διο(σπολ)ει·
ο Αμενωθης πολ(υ μαλλον α)νε(π)ερρω
μενος τηι τολμηριαι κ(αι) τουτον
εθεραπευσεν βιαιωι αγ(ωνι), και αυτο
κρασιαι τινι εκφερομ(ενος και) αποστα
τικωι τροπωι, και (εαυτ)ωι μεγαλην
εξουσιαν περι(ποιουμενος) υπερ εαυτον
.... φρονων ου κα(τω)κ(νησε θεραπευειν) ουτε
τουτον, ουτε (τους αλλους τ)ους προ
γεγραμμενους, (ουκ εξον αυτωι ουδ εφ)απτεσ
θαι αυτων ουδ αλ(λων ουδενων τ)ων
εκ των εμοι απ(οδιεσταλμενων) κωμων.
εμοι δε καθηκοντ(ος μου
τον βιον και τ εκθλιβων
κατεγνωκως π σεχον
τος παρασυνγραφ ης
ομολογιας διεξ και καταναι
τιζομενος τ(α καθ ημα)ς επιτιμα, και
εν ουθενι τιθ(εμενος) τα εξακολουθουν
τα αυτωι (ε)πιτ(ιμια)νειτισα βασιλευ
σι αι περιεχομεν δια αξιω ανακαλε
σαμενον αυτ(ον επαναγ)κασαι το δικαιον
υποσχειν μοι (και πρ)αχθηναι αυτον
τα επιτιμα, και (περι π)αντων εκθειναι
μοι το δικαιον· (περι δε) των εσομενων
μοι βλα(βων και πληγων τ)αυτα συνστησομαι
τον προς (διορισμον).

ευτυχει.

Heraclidi ex Custodibus Regii Corporis, et Praefecto, et Procuratori proventuum Peri-Thebarum, Petenephotes filius Petenephotis Incisor cadaverum in urbe Diospolis Magnae.

Iniuria afficior ab Amenothe filio Hori Incisore cadaverum. Etenim anno LI. die XIII. Payni pactum invicem stipulati sumus per Diospolitanum tribunal Agoranomi Exterorum, in quo Amenothes spondebat mihi fore, ut in posterum suam operam collocaturus non esset in incidendis incolis Memnoniorum, et .... ynei, et Tnempamenei, et Sepinpoar, et Pa ...., et Mestbu, qui sunt pagi Libyae Pathyriti, et Poi, et Pei, et Pmychei, qui alii sunt pagi Libyae Coptiti, neque in incidendis in Diospoli Sacerdotibus Ammonis, eorumque servis, nec non incolis Ammoniei Diospolis et Phoërei, neque tandem in incidendis Exteris, qui sive uti peregrini, sive uti incolae, in praedictis pagis habitent.

Contra ego spopondi Amenothi meam operam me collocaturum non esse in incidendis incolis Diospolis (exceptis tamen Sacerdotibus Ammonis, eorumque servis, uti supra declaratum est), neque in incidendis cadaveribus Cerameorum, et Thmononcoephei, et Gabdi, et Proettibionis Peri-Thebarum, nec non Pöenpoëi Coptiti, neque in incidendis Exteris, qui sive uti peregrini, sive uti incolae, in praedictis pagis habitent.

Uterque vero spopondimus, neutrum incisurum esse cadavera illorum, qui pagos alterutri assignatos incolunt, neque servos, neque operarios, qui versentur in alterutrius pagis; item non esse collecturos neque legumina, neque vinum, nec quidvis aliud quocumque demum modo; similiter neque incisoriam curam, neque collectam inituros esse apud eos, qui in alterutrius pagis domicicilium ab anno XL habuerint, si contigerit eos ad proprios pagos reversos esse. Neque mihi licere cadavera, quae ex Poënpoëi in Poin Libyae Coptiti transferuntur, curare, quia in praedicto pago non sint; neque etiam licere Amenothi curare corpora extra

Poonpoëum defuncta. Spopondimus vero mutuam pactionem servaturos esse, neque nobis licere ullum ex supradictis pactis praetergredi; secus iniquum ausum irritum esto, et reus continuo solvito illi, qui pactis stetit, quaecumque demum fuerit natura aut species infractionis, mulctam, aerea talenta triginta, tum damnum illatum ex lege aestimandum, tandem sacras Regibus drachmas argenti signati tercentas, ac nihilosecius pactio rata permaneat, quemadmodum inter nos sponte convenit.

Quum pactio ita se haberet, Amenothes suarum iniuriarum initium faciens, — primo, quum in Ammonieo defunctus esset Pamonthes quidam, — postea, quum ex Latonpoli filia cuiusdam Coriarii translata fuisset, itemque ex Hermonthe duo filii Philoclis, quorum alter mortuus translatus est ad Ammonieum, alter in Ammonieo mortuus est — similiter, quum filius Snihlaitis incolae Cochlacis Pathyriti (qui pagus mihi fuerat attributus) translatus fuisset ad Ammonieum, ibique in Ammonieo vita functus esset — atque meum esset haec cadavera curare; Amenothes praeter ius fasque ea curavit. Nuperrime vero etiam, anno II, mense Athyr, quum Erieus Arbecii filius, qui erat Loci-Scriba Pois Libyae Coptiti, ubi domicilium suaque omnia habebat, et quodammodo aliis in rebus praeerat Poi ceterisque mihi assignatis pagis, maxime vero officialibus Poim incolentibus, Senioris etiam honore insignitus erat apud alios incolas eiusdem pagi, longeque excellebat; quum, inquam, Erieus forte fortuna in urbe Diospolis e vita decessisset, Amenothes multo magis audacia confirmatus etiam hunc curavit violento studio, quadam dominandi cupiditate elatus, et rebellum more, sibique magnam auctoritatem arrogans, supra se ipsum cogitatione elatus haud dubitavit sive hunc, sive alios supradictos curare, quum ne contingere quidem posset seu ipsos, seu alios quosvis ex pagis mihi attributis, meum vero esset (*eos curare. Atque haec admisit Amenothes*) qui in se suscepit pactam inter nos mulctam, nihilique ducit mulctam, quae inde consequitur (*ac regibus solvenda est*).

Quare peto, ut eum accersas, et cogas mihi poenas dare, et

solvere mulctam, ac de omnibus edere mihi quod iustum est. Quod vero attinet ad damna et incommoda, quae passurus sum, de his distinctam recensionem componam. Vale.

ADNOTATIONES

Lin. 1. Ηρακλειδει) De eo dixi ad Pap. I. p. I. lin. 2.

Ib. Και επι των προσοδων) De hoc munere dixi ad Pap. I. p. I. lin. 3.

Lin. 3. Παρασχιστου) De Paraschistis, seu Incisoribus cadaverum, disserui ad Pap. I. p. I. lin. 21.

Ibid. Των απο) Ex iis quae disputavi ad Pap. I. p. I. lin. 9. patet ellipsin ita supplendam esse των απο Διοσπολεως της μεγαλης παρασχιστων, ac designari Paraschistas, qui in urbe Diospolis suo munere defungebantur, eorumque princeps certe erat Petenephotes.

Lin. 5. NAL) Anno LI Evergetis II.

Lin 6. Δια του) Praepositionis δια extrema lineamenta mihi quidem certissima apparebant.

Ibid. Ξενικου Αγορανομιου) Praeter ξενικὸν Ἀγορανόμον in hoc Papyro commemoratum, occurrit in Papyro XIII. ὁ τῶν ξένων πράκτωρ *alienigenarum quaestor*. Dicendum ergo est de τοῖς ξένοις.

Hoc nomine venire *alienigenas*, qui in Aegypto versantur, nemo negabit. At ξένοι, uti est infra lin. 19. alii dicuntur παρεπιδημοῦντες, alii κατοικοῦντες. Saepe alibi haec duo nomina coniunguntur. Sic in Inscriptione Fourmontii edita a Rochettio (*Deux lettres sur l'authenticité des Inscriptions de Fourmont* p. 128) Μεσσανίων καὶ Ἀργείων ...... καὶ τῶν ἄλλων ξένων κατοικοῦντες καὶ παρεπιδαμοῦντες ἐν Ἀμύκλαις *Messenii, Argivi, aliique advenae, seu qui stabile, seu qui temporarium domicilium habent Amyclis* honore prosequuntur Demetrium. Et in Oxoniensi Marmore CLXXXI. Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων ξένων κατοικοῦντες καὶ παρεπιδημοῦντες ἐν Δήλῳ. Paullo secus Polybius XXX. 4. 10. de Graecis Romae versantibus ait οὐ μὴν τοῖς γε παρεπιδημοῦσιν, οὔτε τοῖς ἐκεῖ μένουσι τῶν Ἑλλήνων οὐδαμῶς ἤρεσκεν *haud placuit graecis, qui vel ad tempus, vel certo*

domicilio Romam incolebant. Atque Athenaeus VIII. *p.* 361. *f* festum Feriarum Romanarum, ait, celebrant πάντες οἱ τὴν Ῥώμην κατοικοῦντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες τῇ πόλει *omnes Romae incolae, et qui aliunde in Urbe adsunt.* Ut facile omnes intelligant τοὺς κατοικοῦντας ξένους esse alienigenas, qui aliquo in loco certas sibi sedes ac perpetuum domicilium constituerunt; τοὺς παρεπιδημοῦντας esse alienigenas, qui ad tempus alicubi morantur. Hinc παρεπιδημία de vita hominum in terris dicitur apud Aeschinem Socraticum *Dialog.* III. 3. παρεπιδημία τίς ἐστιν ὁ βίος, cui affine est illud Antonini II. 7. ὁ βίος . . . . ξένου ἐπιδημία. Hinc cum ξένοις comparantur in N. Testamento, ξένοι καὶ παρεπίδημοί εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς *ad Hebr.* XI. 13. Iam vero in Aegypto complures fuisse ξένους *advenas*, qui vel mercaturae gratia, vel stipendia facturi ad tempus commorarentur, alios vero qui sedes iam diu in eo regno fixerint, sciunt omnes. At non ita facile definierim, utrum nomine τῶν ξένων κατοικούντων venirent etiam ipsi graeci, qui, post Aegyptum a Sotere occupatam, in varios Nomos se diffuderant, in iisque stabile domicilium sibi elegerant. Sane fide maius videtur Ptolemaeos, ipsosque regni primores, e Graecia oriundos, passos fuisse ceteros graecos incolas Aegypti, non tantum ab Aegyptiis, sed etiam ab ipsis graecis magistratibus compellari nomine τῶν ξένων, immo ipsum graecum Agoranomum appellasse se ξενικὸν ἀγορανόμον, et Quaestorem Graecorum dictum fuisse a graecis τὸν πράκτορα τῶν ξένων *Quaestorem alienigenarum.* Fide, inquam, maiora haec videntur. Memoriae succurrebat *Praetor peregrinus* Romanorum, quem ideo creatum fuisse tradunt, ut ius diceret cum inter peregrinos, tum *inter cives Romanos, et peregrinos* (*Liv.* XXII. 35) quia, crescente in dies frequentia peregrinorum Romam immigrantium, Praetor Urbanus nequibat universis satis esse. Ergo ne, aiebam, adeo peregrinorum numerus excreverat Thebis, ut eorum gratia peregrinus Agoranomus necessario creandus esset? Atqui Thebae, nedum incolarum frequentia florerent, potius in solitudinem redigebantur. Praeterea quid erat, cur solis peregrinis concederetur Quaestor? Quoduam tributi genus

pendebant peregrini adeo frequens ac grave, ut Urbanus Quaestor impar esset illi exigendo? Ceterum non video quidnam peregrinos allicere posset, ut frequentes Diospolim se conferrent.

Quae quum ita sint, inclinat animus, ut credam nomine τῶν ξένων venisse graecos ceterosque, qui Aegyptii non essent; at ξένους κατοικοῦντας eosdem fuisse ac κατοίκους *graecos incolas*, de quibus dixi ad Pap. III. lin. 4. Quod nomen non obtinebat quidem in civitatibus ad graecos mores institutis, quemadmodum Alexandriae et Ptolemaide; sed in ceteris civitatibus, in quibus maior incolarum pars constabat ex Aegyptiis, seu ἐγχωρίοις. Id vero facile patiebantur Lagidae, ne, si de nomine lis moveretur, dictis minus audientes haberent Aegyptios.

Lin. 7. Απο της των Μεμνονειων) Articulus της coniungendus est cum suo substantivo lin. 14. παρασχιστειας θεραπειας. Paria dic de και της lin. 11. 12. 13.

Lin. 8. Τνεμπαμηνεως) Nomina oppidorum a Papyro hisce et sequentibus versibus commemoratorum ignorare praestat. Coniicere possem Πηι lin. 10 esse ⲡⲏⲓ *domum*; Πωιν lin. 28 esse ⲡⲟϩⲉ *gregem*, *cellam*, *stationem*, adeoque Ποενπωεως respondere Aegyptio ⲡⲟϩⲉ ⲛ̄ⲡⲟϩⲉ *statio gregis*. Praeterea Μεσθβου lin. 9 derivari potest a ⲙⲟϣⲧⲉ ⲃⲱ *regio arborum*; nam ⲙⲟϣⲧⲉ est *pars*, *regio*, eiusque affinis ⲙⲉϣⲱⲧ est *campus*, unde apud Zoëgam *Catal. Cod. Coptic.* p. 30 ⲡⲑⲟϣ ⲡⲓⲙⲉϣⲟϯ *Nomus camporum* in Nomo Sebennytico; porro ⲃⲱ est *lignum*, *arbor*. Vox Θμονονκοιφεως lin. 18 deducenda videtur a ⲧⲙⲱⲡⲉ vel ⲧⲙⲟⲟⲡⲉ *mansio*, *habitatio*, *pastura*, quo nomine venit etiam urbs Aegypti, quam Arabes *Minieh* dixerunt, et ⲕⲏϥ *frigidus*, vel ⲕⲏⲡⲉ *fornix*, vel ⲕⲏⲃ *duplex*. Sed quis haec certo asserat? Etyma ex se iam lubrica, incertissima sunt in nominibus Aegyptiis ad graecas formas et aures refictis. Quantum hac in re liberrime grassati sint graeci litteras mutantes, addentes, vel dementes norunt qui nomina propria demoticis signis exarata contulerint cum iisdem graeca civitate donatis. Quamobrem universa haec pagorum nomina mitto, id tantum adnotasse

contentus omnia, excepto Κοχλαξ lin. 46, et Κεραμειων lin. 18, esse Aegyptia.

Ibid. Σεπινποαρ) Syllaba σε incerta est, legi enim potest εσ, ευ, vel σο, Etiam postrema αρ facile inclinat ad δρι.

Lin. 9. Της Λιβυης του Παθυριτου) Similiter habes lin. 10. 28. 53. της Λιβυης του Κοπτιτου; ergo illa Nomorum pars, quae trans Nilum in littore occidentali posita erat, appellabatur pars Libyca illius Nomi, sic *Libya Pathyriti*, *Libya Coptiti*.

Lin. 10. Κωμων) Ut partes Pathyriti recenseantur, nominantur κῶμαι seu *pagi*; patet ergo nomum in κωμας fuisse tributum. Id etiam constat ex duabus hisce inscriptionibus, quas vidi in R. Museo Aegyptio-Parisiensi Ταφη Ταυρινους απο κωμης Τρικατανις του Κοπτιτου νομου, tum Ταφη Αμμωνους απο κωμης Τρικατανις του Κοπτιτου νομου. Sed praeter κωμογραμματεῖς scimus etiam fuisse τοπογραμματεῖς (Papyr. I. p. IV. lin. 7), licet igitur affirmare κωμας constasse ex τόποις. Tamen huic opinioni adversari videtur locus Strabonis XVII. p. 1136, ubi τὴν πρώτην διαίρεσιν *primam divisionem* Aegypti exponens, post commemoratos trigintasex nomos: ita subdit: οἱ νομοὶ τομὰς ἄλλας ἔσχον· εἰς γάρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄρηντο, καὶ αὗται δ' εἰς ἄλλας τομάς· ἐλάχισται δ' αἱ ἄρουραι μερίδες *Nomi in alias divisiones tributi fuerunt; plerique enim in toparchias divisi sunt, hae vero in alias portiones, quarum minimae sunt arurae*, de aruris, vide me ad Papyrum I. p. 135. At haec facile conciliari possunt. Vel enim geometrica divisio nomi spectatur, vel civilis administratio nomi in partes divisi. Si primum, facile video, quum priscis temporibus in unoquoque nomo praeter metropolim perpaucae essent urbes, vel κῶμαι, eam instituendam fuisse divisionem, quae nullam τῶν κωμῶν *pagorum* rationem haberet, nam vix pauci erant pagi, hique ad inaequales distantias positi. Nomus igitur in τόπους *locos* tribui debuit. Sed, quod ad civilem administrationem attinet, dico, vel priscis temporibus, maxime vero sequioribus, quum frequentiores iam essent pagi, uni pago demandatam fuisse administrationem nonnullorum τόπων *locorum*, ita ut

scribae singulorum τόπων subiicerentur auctoritati scribae τῆς κώμης, seu τοῦ Κωμογραμματέος. Vel ergo soli divisionem spectamus, atque Aegypti solum dividitur in νομοὺς, τόπους, aliasque minores portiones, quarum extrema est ἄρουρα; vel de civili administratione sermo est, atque Aegyptus tribuitur in Epistrategias, Nomos, κωμας *pagos*, et τόπους *locos*. Iamvero τόπος dici poterat nuda tellus, agri pars, in qua nullum esset aedificium; nam in Papyro X cuipiam fundo cohaerere dicuntur λιβος τόποι Πνεφερ͂ ... απηλιωτου τοποι και οικια Εριεως, ut appareat fuisse τόπους sine aedificio, et τόπους in quibus unica erat domus; quisque etiam videt τόποις suum fuisse nomen, uti τοποι Πνεφερ͂, et in Antigrapho Grey lin. 22. τοπου Ασιητος καλουμενου Φρεκαγης. In κώμῃ *pago* sedebat ὁ Κωμογραμματεὺς, huic parebant οἱ Τοπογραμματεῖς variorum τόπων; sed quum ipsa κώμη in se una spectata nihil esset, nisi τόπος, ea suum etiam habebat Τοπογραμματέα, sic Erieus infra lin. 52. dicitur τοπογραμματευς της Πωεως, quum Πωις esset κώμη, vide lin. 10.

Sed quum in contrariam sententiam iverit Cl. Letronnius (*Recherches pour servir à l'hist. de l'Égypte* p. 398.) vir in Aegyptiis studiis magni nominis, contendens τὸν Τοπογραμματέα praestasse τῷ Κωμογραμματεῖ, adeoque τόπους tribui in κώμας, eius argumentum iuvat accurate perpendere. Nititur vir doctissimus Decreto Busiritanorum, in quo εδοξε τοις απο κωμης Βουσιρεως ..... και τοις εν αυτηι καταγεινομενοις τοπογραμματευσι και κωμογραμματευσι ψηφισασθαι etc. Atqui ordo est praeposterus, quippequi ab incolis, seu a plebe universa, gradum facit ad officiales τῆς κώμης; eodem ergo ordine inverso officiales commemorantur τοπογραμματεῖς, et κωμογραμματεῖς, quare isti illis praestant. Praeterea si τόπος ex multis κώμαις conflatur, non erat cur οἱ τοπογραμματεῖς locum haberent in decreto scito ab unica κώμῃ, bene vero admitti debent, si κώμη in τόπους dividatur. Ceterum cuicumque demum opinioni adhaereamus, in eo semper peccat decretum, quod plurali numero scribit τοπογραμματευσι και κωμογραμματευσι, quum in sententia Letronnii scribendum fuisset τοπογραμματεῖ, et in mea κωμογραμματεῖ. Sed

iustus ordo occurrit in inscriptione Oasitica Cnaei Virgilii Capitonis; ibi enim scribae ita enumerantur lin. 31. βασιλικοι γραμματεις, και κωμογραμματεις, και τοπογραμματεις, quo testimonio quid luculentius esse possit aptiusve ad meam sententiam confirmandam equidem non video. Quare in Papyro I. p. IV. lin. 5. ὁ τοπογραμματεὺς *Loci Scriba* fidem scripto facit de fundo sito in suo τόπῳ, deinde ὁ κωμογραμματεὺς *Pagi Scriba* rem confirmat, tandem ὁ βασιλικὸς γραμματεὺς minorum scribarum testimonium subscriptione sua ratum facit. Tandem ex graecae linguae usu κώμη est *vicus*, *pagus*, *castellum*, *oppidum*, itemque *urbs* apud LXX Interpretes, contra τόπος nihil est nisi *locus*.

Toparcha τοπάρχης praeerat τοῖς τόποις, de quo dicerem, nisi hoc munus innotesceret ex unico loco Papyri Anastasy lin. 5. contextus valde incerti. Enimvero Böckhius legit επ Απολλωνιου του προς τηι αγορανομιαι τον μηνα επι της φιλοτοπαρχιας του Ταθυριτου, Young emendavit επ Απολλωνιου του προς τηι αγορανομιαι των με (quod interpretatur μεμνονειων) και της κατω τοπαρχιας του Παθυριτου, sed verba της κατω incertiora sunt, quam ut prudenti coniecturae fundamentum suppeditare possint.

Lin. 11. Του Κοπτιτου) Quamvis uncinis clauserim syllabas του Κοπ, earum lineamenta satis insignia supersunt.

Lin. 12. Δουλων) Δοῦλος non tantum notat *servum*, qui alieni, non sui, iuris sit, sed etiam *famulum*, *ministrum*. Quamvis vero servi esse possent in Aegypto, uti ex Aristeae Epistola ad Philocratem discimus permultos fuisse hebraeos, qui iussu Ptolemaei subinde manumissi sunt; tamen hic δούλους accipiendos esse credebam de famulis, qui suam operam sacerdotibus locaverant, atque ad eorum familiam ita pertinebant, ut incisor sacerdotum idem esse deberet et famulorum. Sed aliter suadet lin. 13 sequentis Papyri.

Ibid. Αμμωνιειου) Desinentiae in ιον, ειον, ιειον rem designant, quae vel alicui sit sacra, vel ab aliquo perfecta, quare Αμμωνιειον intelligo de templo Ammoni dicato, in quo Sacerdotes sacra faciebant, suumque habebant collegium. Sed quum ex lin. 44. 47.

appareat nonnullos fato functos esse in Ἀμμωνιειῳ, vel eo mortuos fuisse delatos, atque aliunde constet mortuos a templis eorumque δρόμοις arceri consuevisse, nomine Ἀμμωνιείου veniebat etiam illa Diospolis regio, quae templo Ammonis circumstans ex compluribus domibus coalescebat, in quibus privati homines habitabant, atque adeo vel poterant in iis vitam obire, vel eo cadavera deferri. Quae regio una cum templo Ammonis respondebat hodierno *Karnach*.

Lin. 13. Φωηρεως) In hoc vocabulo video Φ vel π articulum Aegyptium, et nomen Οηρις, a quo etiam componuntur nomina *Tsenpoeris*, *Osoroëris*, hisque similia, excepto *Aroeris*. Iam vero in Papyris Demoticis appellativum Tsenpoeris constare animadverti ex τ articulo feminino, Ϲϵ *filius* vel *filia*, π articulo masculino, et sigla quae certe efferebatur *Oeris*, ita ut universum nomen significet ἡ Θυγάτηρ τοῦ Ὀήρις *filia Oëris*. Nomen Osoroeris conflatum vidi ex siglis Osiridem deum designantibus, et sigla praedicta *oeris*, ut sit *Osiris oeris*. De nomine *Aroeris* secus statuendum est, quippequod in obeliscis ex characteribus *Hori*, et *Solis* constet. Ex primo illo *oeris*, quod nescio, utrum ex οτρο *rex*, an aliunde repetendum sit, conflatum existimo nomen pagi Φωῆρις, in quo aliud erat templum Ammoni dicatum.

Lin. 18. Κεραμειων) Ea lineamenta supersunt in Papyro, quae facile hanc lectionem innuant. Anne pro κεραμέων *figulorum*, ita ut figuli omnes incidendi essent ab Amenothe? Vel est ne nomen pagi, cuiusmodi in Mysia Xenophon *Anab.* I. 2. 10. citat Κεραμῶν ἀγορὰν, πόλιν οἰκουμένην *Ceramorum forum*, *urbem civibus frequentem*, atque scimus Athenis duos fuisse Κεραμεικούς? In versione graecam vocem retinui.

Lin. 19. Ποενϖωεως) Litterae certae hae sunt .ο.νϖωεως.

Quamvis non credam universum omnino nomum Peri-Thebarum divisum fuisse inter utrumque Paraschistam, hic enim longe pluribus pagis constare debuit, quam qui in hoc Papyro recensentur; tamen utriusque Paraschistae provincia latissime patebat. Quare persuasum habeo neutrum potuisse per se, sine aliorum adiumento,

incisoriam operam praestare omnibus, qui in variis provinciae partibus vita defungerentur. Immo Amenothes vix potuisset uni urbi Diospolis ipsi commissae satisfacere, nisi vicaria aliorum opera fuisset usus. Quare colligo tum Petenephotem, tum Amenothem fuisse principes duorum collegiorum Paraschistarum, quorum etiam nomine seu contractus inibant, sic pactum conventum anno LI. stipulatum (lin. 5), seu lites inferebant, uti constat ex universo hoc Papyro, atque ex Papyro I. in quo Cholchytae saepe appellantur οἱ περὶ τὸν Ὧρον, quia Horus erat collegii Cholchytici princeps. Sane Herodotus et Diodorus Siculus plus semel tradunt universum Aegyptium populum in varios ordines ita fuisse divisum, ut nefas esset ab uno ad alium transilire; idem porro nominatim de Paraschistis perhibet Diodorus I. 91, qui τὴν ἐπιστήμην ταύτην ἐκ γένους παρειληφότες exercent, ut iisdem in familiis, eademque in cognatione perpetuo perstiterit ἡ παρασχιστεία Nomi. Quanam vero ratione deligeretur princeps Collegii certe affirmare nequeo; existimo tamen principatum delatum fuisse ad filium natu maiorem. Sane in Papyro I. collegae Hori dicuntur *fratres*, quod nomen etsi lato sensu intelligendum esse animadverterim ib. ad pag. I. lin. 10, tamen insinuat Horum ceterorum fuisse principem iure *fraternitatis*, adeoque primorem natu. Iam primogenituras fuisse apud Aegyptios, ac natu maximis potiorem haereditatis partem concessam fuisse dixi supra p. 8.

Lin. 22. Αποδιεσταλμενων) Verbum ἀποδιαστέλλω apud LXX. Interpretes duplicem habet potestatem *dividendi*. *Ios.* I. 6. et *vetandi* II. *Macch.* VI. 5. atque adeo recte usurpatur de rebus ita *divisis*, ut alteri *vetitum sit* eas sibi vindicare.

Lin. 23. Δουλευοντας) Ita supplevi, neque tamen in hac lectione conquiesco; prima enim syllaba potius videtur esse δι.

Lin. 24. Λογευσειν) Luculentissime hinc constat quemque Paraschistam ius habuisse in sua dioecesi colligendi legumina, vinum, aliaque. Iam quum compertum habeamus Paraschistam suo officio erga cadavera functum fuisse, semel ac illa incidisset, continuo

enim se in fugam coniiciebat quippe lapidibus petitus a circumstantibus (vide me ad Pap. I. lin. 21), patet etiam hanc collectam non defunctorum gratia institutam fuisse, sed bono Paraschistarum cessisse, qui ea ratione victum sibi comparabant. Pari iure gaudebant Cholchytae. Nam in Papyro Grey Onnophris, praeter ius λειτουργιων et καρπειων, vendit etiam sextam partem της λογειας των κειμενων νεκρων εν Θυναβουνουν *collectae cadaverum iacentium in Thynabunun*, seu collectae, quam Onnophris, cuius iurisdictioni suberant cadavera Thynabunun, iure poterat inire apud cognatas familias, quibus cadavera pertinebant. Ab hoc iure secernenda puto alia iura λειτουργειων et καρπειων, quae Cholchytis quidem sacra facientibus in hypogaeis competere poterant, non item Paraschistis, qui, cadavere semel inciso, erant omni officio functi.

Ibid. Οινον) Quae de vini usu apud Aegyptios tradiderunt Herodotus II. 37, et Plutarchus *de Isid.* p. 353, tum de variis Aegyptii vini speciebus scripsit Athenaeus *Deipnos.* I. cap. 25. adeo omnibus comperta sunt, ut ab iis exscribendis abstinendum esse censeam. Monebo tamen vulgarem vini usum non tantum ex insigni hoc loco colligi, verum etiam ex pictis parietibus tum sepulchrorum Eilythiae et Memnoniorum (Hamilton *Aegyptiac.* p. 165) tum aliorum monumentorum, quae homines sistunt seu decerpentes aut calcantes uvas, seu alia ad vinum conficiendum peragentes.

Lin. 27. Ει συνεβη) Haec verba putavi esse supplenda. Quum enim de domicilio frequens mentio iniiciatur, necesse erat, ut terminus aliquis figeretur, ex quo certum iudicium de domicilio fieri posset.

Lin. 31. Πoονπωεως) Ita; alibi semper ποενπωεως.

Lin. 33. Παρασυγγραφειν) Vide Budeum *Comm. L. Gr.* p. 594.

Lin. 34. Εφοδον) Huiusce vocis lineamenta vix quidem insignia, certissima tamen supersunt in Papyro. Iuridice notat impium ausum, quo quis fidem datam, vel pacto firmatam, re factisque frangit; sic in Papyro IV. lin. 23. η τ εφοδος ακυρος εστω.

Lin. 35. Μερος) Apud Polybium τοῦτο τὸ μέρος saepe est *hoc*, *haec res*; rei ergo intimam substantiam ac rationem significat.

Lin. 43. Ερμωνθεως) Consonae θ tenue vestigium apparet; inter hanc, et ς, intercedit spatium duabus tantum litteris excipiendis par. Hinc patet, quum ceteri Ερμονθις, Ερμουθις, scriberent, solum Stephanum *de Urbib.* recte scripsisse Ερμωνθις.

Lin. 45. Συιβλαιτος) Legi etiam potest Σινβαλιτος.

Lin. 46. Μετενεχθεντος) Ex hac narratione discimus ex dissitis pagis, immo ex urbibus Latonpolis et Hermonthis, fuisse Diospolim delatos nonnullos, quorum alii iam aliquo fortasse morbo laborabant, ibi enim vita excesserunt, alii iam omnino erant fato functi. Porro mecum recogitans quamnam probabilem causam hisce translationibus assignarem, anceps haerebam, utrum illam a religione, an a medicina, vel a familiaribus rationibus repeterem. In solane urbe Diospolis erant Paraschistae, aliique, qui cadavera curarent, Taricheutae et Cholchytae, atque adeo in solis ne Memnoniis ponenda sunt cadaverum totius nomi conditoria? Vel religioni ne ducebant Aegyptii in hoc potius, quam in alio loco condiri? Quod si verum non est, superest, ut cadavera Diospolim delata ad eas pertinerent familias, quae Diospoli degerent, vel sua haberent in Memnoniis sepulchra. Sed de hac re plura daturos esse auguror doctos viros, qui R. Museum Aegyptio-Parisiense illustrabunt. In eo enim nonnullas vidi epistolas seu Papyro, seu ligneis fragmentis, inscriptas, in quibus parentes vel propinqui cadavera mittebant ad quosdam, quos Cholchytas esse coniicio, atque iubebant υμεις συν καταστησατε αυτην (θυγατρα) εις τους ταφους εν Μεμνονειοις; *vos ergo filiam meam deponite in sepulchris in Memnoniis;* parentes affirmabant, se naulum τὸ ναῦλον ad assem solvisse, ceterisque impensis satisfecisse; addebant signa, quibus cadaver sui affinis discerneretur, signum vero esse solebat nomen defuncti pectori inscriptum.

Lin. 51. Εν τωι βL) Scilicet anno LII Evergetis, quo anno certe hic libellus oblatus fuit; nam Heraclidis sententia, quam sequens Papyrus exhibet, data est eodem anno LII.

Lin. 59. Πραγματικων) In Obelisco Philarum lin. 7. longa munerum militarium et civilium recensio hisce verbis concluditur και

οι αλλοι πραγματικοι παντες, quae Letronnius *Recherches* pag. 302. recte vertit *tous les officiers publics*, tum. p. 307. hanc vocis potestatem erudite illustrat.

Lin. 60. Πρεσβειον) Senioris dignitatem innui existimo. Quemadmodum enim quavis in familia erat natu maximus, cui praeter pinguiorem assis partem, alii etiam honores concedebantur; ita quovis in pago erant seniores, non tam ob grandaevam aetatem ita appellati, quam ex muneribus, quibus fungebantur.

Lin. 66. Τολμηριαι) Syllaba τολ incerta est.

Lin. 67. Αυτοκρασιαι) Inauditum derivatum ab *αὐτόκρατος*, quemadmodum *ἀκρασία*, *εὐκρασία*, ab *ἄκρατος*, *εὔκρατος*. Porro adiectivum *αὐτόκρατος* usurpatur ab Athenaeo *Deipnos.* I. 32. *f.* de vino temperato, quod medium ponit inter vinum *αὐστηρὸν* *austerum*, et *γλυκάζον* *dulce*, neque aliam potestatem habere potest, si eius etymon attendamus. Iam quum contextus nullatenus admittat ideam *temperantiae*, et *moderationis*, immo exposcat ideam *imperii*, *cupiditatis dominatus*, suspicor auctorem huius libelli, etymologum haud satis accuratum, falso affinxisse nomini *αὐτοκρασία* potestatem vocis *αὐτοκρατία*, quasi *αὐτοκρασία* legitime ab *αὐτοκρατής* derivari posset.

Lin. 76. Καθηκοντος) Abstinui a redintegrandis lacunis horum versuum; praeterquamquod enim vix potuissem verba corruptae graecitatis recte divinari, nihil est in hisce Petenephotis querelis, quod magni nostra intersit.

Lin. 84. Διο αξιω) Desideratur pronomen σε. Reliqua ad finem usque vix graeca sunt. Sic *το δικαιον υποσχειν μοι* pro *τὴν δίκην*. Quid sit *εκθειναι το δικαιον* haud facile video. Verbum *συνίστημι* cum duplici accusativo et praepositione *περὶ* inauditum est. Neque etiam video qua ratione damna appellentur *εσομενα* *futura*, quum Petenephotes iam ea passus fuisset, atque hoc libello cavere satageret, ne in posterum maiora damna sibi inferrentur.

PAPYRUS IX.

Alt. 0,187. Lat. 0,236. ***Mutilus.***

Ετους νβ . . . . . ϛ επι Πτολε(μαιου) . . . . των φιλων και . . .
επιστατ συ)νπαροντων Φι . . .
Ευτυχιδ ιλου Ερμοκλεο(υς)
του Απολλ εων Αθηνο . . .
Ηρακλειδ και αλ)λων πλειονων.
Καταστα ντ(ος) . . . . Αμενωθου (του Ω)ρου παρασχιστου (προς)
Πετενεφ(ωτην του Πετενεφωτ)ου των αυτων προεφερετο το . . .
συνιστασ . . . . των μη κ . . . κοντων αυτωι . . .
κοινη . . . . υ γεγο . . . . . εν τωι ναL . . .

desiderantur nonnullae lineae

ετερα τ . . . . ι εν . . . . λει αυτων των ιερεων του Αμμωνος και
των τουτ(ων) δου(λων και απο)στησεσθαι αυτον εν τοις κατα την
παρασχι(στικ)ην θεραπεια(ν) και επιτιμα τωι παρασυνγραφουντι
νυνι δ αντ(ιπ)οιεισθαι και των απηλ(ευθ)ερωμενων υπο τουτων
και των αφ ιερεων, και αφ ιερισσων κα . . . θων παραβαινοντα
τα δι αυτη(ς δ)ηλουμεν . . . . ωσθεισης και του
Πετενεφωτου αντιτιθ(εναι) προς ταυτα μη δυναμενου
διεστειλαμεθα μηθεν ε(τι) τοιουτο επιχειρειν διαπρασσεσθαι,
εμμενειν δ εν οις εκον(τες) προς εαυτους συνκεχωρηκασι
εφ οις ανελ(υσ)αν.

ADNOTATIO

Quamvis Papyrus crebris scateat lacunis, quas restituere periculosum esse duxi, tamen eius fragmenta satis aperte produnt transigi litem, quam Petenephotes in superiore Papyro VIII. contra Amenothem intentaverat. Enimvero quinque priores lineae exhibent

notationem anni LII. et diei, tum nomen Praefecti, tandem nomina Assessorum, plane ac in primis Papyri I. versibus. Linea 6 et 7 tenent nomen rei in iudicium citati Amenothis filii Hori, tum illud actoris Petenephotis. In linea 9. citatur pactum anno LI. initum inter utrumque, vide Pap. VIII. 5. In linea 10. ea pacti conditio commemoratur, qua Sacerdotes Ammonis eorumque servi Diospoli degentes ab alio Paraschista incidendi erant, quam ab illo, quo ceteri Diospolitani cives utebantur, vide Pap. VIII. 11. 12. 16. 17. In lin. 12 mentio iniicitur mulctae a transgressore solvendae. Linea 13 insinuat alterutrum Paraschistam ita interpretatum esse vocem δούλων *servorum*, ut sibi arrogaret ius incidendi etiam libertos qui manumissi fuerant seu a familiis suae dioecesi assignatis, seu a sacerdotibus atque a Sacerdotissis, licet hi liberti alio se transtulissent. Qua de re observare licet: 1.° vocabulum ἱέρισσα pro ἱέρεια, quod *vocabulis probabiliter Alexandrinis* accensuerat Sturzius *de Dialecto Maced. et Alexandrina* p. 173. Nemo tamen inde inferat fuisse foeminas, quae sacris officiis vacarent; uxores enim sacerdotum recte *Sacerdotissae* dici potuerunt, uti in Papyro XI. Tasemis *Cholchytissa* appellatur, quin sacrificia aliaque Cholchytarum munera perageret. 2.° In Aegypto fuisse servos, qui quandoque manumittebantur; quem hominum statum vel Pharaonum temporibus extitisse id mihi suadet, quod video sacerdotes ipsos servis uti. Haud tamen crediderim Aegyptium quemquam a cive suo fuisse ad servi conditionem redactum, sed omnes servos fuisse exteros. Sane servi, qui in Aegyptia historia commemorantur, alienigenae fuerunt; ita Hebraei Iosephi aetate, ita qui a Ptolemaeo manumissi sunt Aristeae temporibus Hebraei etiam erant. Linea 16 evidentissime refert Petenephotis nomen, qui actoris partes susceperat. Lin. 17 et duo sequentes exhibent sententiam a iudicibus prolatam.

PAPYRUS X.

Alt. 0,16. lat. 0,12.

Mutilus initio et fine.

. . . τ)ων οντων εν κωμηι (Καλλιδ°)
(γε)ιτονες νοτου Ανουβιειον, βορρα
λιμνη του θεου, λιβος τοποι Πνεφερω,
ων $\overline{κρ}$ τα τεκνα, απηλιωτου τοποι
και οικια Εριεως του Κερδωνος,
ων $\overline{κρ}$ τα τεκνα, α $\overline{εω}$ παρα
Ωρου του Ερианουπιος και Τεεφιβιος
του Ωρου χαλκου κβ $\overset{ε}{τ}$ $\overline{χ}ε$

ο αυτος τελος [illegible] οικιας $\widehat{ιθ∠}$
επι $\widehat{ιγ∠}$ και εισοδου της απο λιβος
ί επι $\widehat{β}$ των οντων εν κωμηι Καλλιδ°
γειτονες νοτου Ανουβιειον, βορρα
λιμνη του θεου, λιβος τοποι Πνεφερω,
ων $\overline{κρ}$ τα τεκνα . . . . . τοποι και οικια
Εριεως του Κερδωνος, ων $\overline{κρ}$
τ(α τεκ)να α εω παρα Πεταριος

cetera desiderantur.

. . . existentium in pago Callidis. Cohaerent ad austrum templum Anubis, ad septentrionem Palus Numinis, ad occasum Loci Pnepheri quos possident filii, ad orientem Loci et Domus Eriei filii Cerdonis quos possident filii. Haec vero emit ab Horo filio Erianupii, et Teephibi filio Hori, aereis talentis duobus; tributum aerei quinque.

Idem. Tributum N. N. domus cubitorum 19. ½ supra 13. ½, et ingressus ad occasum cubitorum 10 supra 2 existentium in pago

Callidis. Cohaerent ad austrum templum Anubis, ad septentrionem Palus Numinis, ad occasum Loci Pnepheri quos possident filii, (*ad orientem*) Loci et Domus Eriei filii Cerdonis quos possident filii. Haec vero emit a Petario . . .

ADNOTATIO.

Consideranti hanc Papyri laciniam patebit: 1.° duas unius eiusdemque domus partes describi, namque quae cohaerent loca paria atque eadem sunt. 2.° Utramque partem ad eumdem dominum pertinuisse, verba enim *ο αυτος idem* de solo domino intelligi possunt, non de ἔτει, seu *anno*, qui graece neuter est. 3.° Auctorem notari, a quo dominus tum primam, tum alteram partem domus emerat, illam scilicet ab Horo et Theephibi, hanc a Petario. 4.° Tributum, seu τέλος, enunciari quod pro utraque parte pendendum erat. Quae quum ita sint, iure videor statuere hunc Papyrum fuisse *διαγραφήν*, gallice *certificat*, *copie d'enregistrement* (vide me ad Pap. I. p. VI. lin. 2.) quam dominus a Trapezita obtinuerat ius suum in domum demonstraturus publico hoc documento.

PAPYRUS XI.

Altit. 0,23. **latit.** 0,137.

Mutilus in fine.

Ερμοκλει των αρχισωματοφυ
λακων και επιστατηι του Παθυριτου,
παρα Τασημιος της Σελωιος
χολχυτιδος. Αδικουμαι υπο
Θεννησιος της γενομενης
του πατρος μου γυναικος. του
του γαρ, μετα το γενεσθαι με
αυτωι εξ αλλης γαμετης,
συναρμοσθεντος τηι εγκεκλη
μενηι, και ποησαντος εξ αυτης
ετερα τεκνα, μεταλλαξαντος
δε τον βιον εν τωι ςL, απο
δ(η)μουσης μου, αντιπεποηται
παντων των υπ αυτου απο
λελειμμενων οικιων δυο,
μιας μεν εν Διοσπολει τηι
μεγαληι, ετερας δ εν τοις Με
μνονειοις, και των επιπλων
οντων ικανων, και κτηνων,
ετι δε και των απο της καθ αυ
...... πατρικης χρειας πιστον

VERSIO

Hermocli ex Ducibus Custodum Corporis Regii, et Praefecto Pathyriti, Tasemis Cholchytissa filia Selois. Laesa sum a Thennesi patris mei uxore. Hic, posteaquam ipsi genita fuissem ex alia uxore, connubio secum iunxit hanc ream, ex eaque novos filios suscepit; tum vitam cum morte mutavit anno VI, quo tempore aberam a patria. Haec porro sibi vindicavit omnia ab eo relicta, domos duas, quarum altera in urbe Diospolis Magnae sita, altera in Memnoniis, tum suppellectilem haud mediocrem, ad haec greges, praeterea . . .

ADNOTATIONES

Lin. 1. *Ερμοκλει*) Verba ἐν τῷ ϛL, lin. 12. insinuant hunc libellum haud multo post annum VI. oblatum fuisse Hermocli Praefecto Pathyriti. Non ergo ab isto differt Hermocles ille, ad quem Phommutes Strategus Thebaidis anno VI. die XI. Payni misit libellos, quos Papyri VI et VII sistunt, ut de iis cognosceret; Hermocles enim ille, uti dixi in Parte I. pag. 68, erat Praefectus Peri-Thebarum. Sed cuiusnam Ptolemaei erat sextus hic annus? Equidem suspicor, vel Philometoris, vel Evergetis, nam ad haec tempora pertinent fere omnes Papyri Taurinenses, qui eodem in dolio inventi fuerunt. At quum sextus Evergetis annus esset etiam decimusseptimus Philometoris, qui potiori iure nominandus erat, nam Philometor tum antiquior, tum potior erat rex qui in societatem imperii adsciverat minorem Evergetem, quare existimo hunc fuisse annum sextum Philometoris.

Ibid. *Των αρχισωματοφυλακων*) Vidimus in Parte I. p. 50. Heraclidem Praefectum Peri-Thebarum fuisse etiam *ἐκ τῶν ἀρχισωματοφυλάκων*, alter sese offert Praefectus eiusdem ordinis titulo insignitus, quare suspicor Praefectos consuevisse vel ex hoc ordine deligi, vel vi novi muneris ad hunc ordinem assumi. Huic tamen coniecturae adversatur Papyrus VII Parisiensis, in quo Dionysius Praefectus non est hoc titulo insignitus, vide me in Parte I. p. 74.

Lin. 3. Τασημιος) In meo *Saggio di Studi* etc. pag. 9. commemorans hunc Papyrum scripseram *Lasisto figlia di Seloi*, quippe legeram Λασιστωος. Sed perperam; est enim Τασημιος, nomen conflatum ex Coptico articulo possessivo feminino ⲧⲁ, et σημις, quod est a σεμ. ⲍⲟⲙ *Hercules*, ut sit ἡ τοῦ Ἡρακλέους *Herculi dicata*, *devota*.

Lin. 13. Αντιϖεϖονηται) Caret nominativo, nec mirum in hac sequiore graecitate.

Lin. 18. Εϖιϖλων) Hesychius Ἔϖιϖλα . . . σκεύη, τὰ μὴ ἔγγεια, sunt ergo *bona mobilia*, *suppellex*, vide etiam Scholion *Lucian. Dial. Mort.* X. 1. Κτήνη apud LXX Interpretes sunt greges seu pecorum, seu boum.

Lin. 20. Των αϖο της) Abstineo a supplenda lacuna, vix enim aliquid probabile dicere possem in contextu mutilo.

PAPYRUS XII.

Alt. 0,32. lat. 0,126.

Ερμοκλης και
Αλεξανδρος
Αμενωθει
Ωρου χαιρειν.
Ου γεγογενεν
εφ ημων
ωνηι κα
τα της σης
οικιας η και
ψιλοτοϖου
των υϖαρχον
των σοι εν
τοις Μεμν
εν τωι νβL
καθ οντινουν
τροϖον
Lνβ φαμ$^{\epsilon}$ Ια̅.

VERSIO

Hermocles et Alexander Amenothi salutem dicunt. Anno 52 sub nobis nulla ratione locum habuit emptio tuae domus, vel etiam areae vacuae, quas habes in Memnoniis.

Anno 52, die 11 Phamenoth.

ADNOTATIONES

Lin. 3. Αμενωθει Ωρου) Amenothes, qui in Papyro VIII. fuerat in iudicium citatus a Petenephote, erat etiam Hori filius, itemque florebat anno LII. Evergetis; praeterea, utpote Paraschista, domicilium habebat in Memnoniis, ibique etiam unam et alteram domum possidere poterat. Quare illum ab Amenothe huiusce Papyri haud differre arbitror.

Lin. 5. Γεγογενεν) Calami lapsus pro *γεγονεν*; aliud erratum habes in *ωνηι* lin. 7. pro nominativo *ωνη*.

Lin. 6. Εφ ημων) Verti *sub nobis*; parcant latinae aures. At nolui definire quod incertum erat in graeco, scilicet utrum ἐφ' ἡμῶν tantummodo notaret *nostra aetate*, an vero etiam *nobis publico nostro munere fungentibus*, quod mihi probabilius videtur, atque innuit officium aliquod publicum, cui contractus empti et venditi certo innotescerent.

Lin. 7. Κατα της) Graecitas vere barbara.

Lin. 24 NβL) Litera β non bene est conspicua, quippeque unica macriore linea fuit depicta.

PAPYRUS XIII.

Alt. 0,31. lat. 0,29.

Passim lacunis scatens.

Τωι εν Μεμφει ξενικων πρακτορι της μεμνημενης υπογραφης υποκειται
το αντιγραφον επιτε(λε)σθητω ουν καθως συνκεκριται

Lλδ τυβι ιε.

Ετους λδ τυβι ε̄ εν Μεμφει του Μεμφιτου, χρηματιστειτων τας βασιλικας Αλεξανδρος
Αλεξανδρου, Φιτοαστηορειος Ηρακλειδης Ηρακλειδου, Θεσμοφοριος Σωγενης Σωγενους,
κοινευσι τα βασιλικα και προσοδικα και ιδιωτικα κρινοντες.
Καταστασντος Χονουφιος του Πεσητιος τουδε προσκεκλημενου Ψαμμεους, ος υπακουσαντος
διαπσε ..... Χονουφιος δεδωκει εντευξεως εσημανεν δεδανηκεναι τωι ευθυνο
μενωι (δι)α συγγραφην τροφιτιν την αναγραφεισαν δια του γραφιου $\overline{αρ}$∠φ επι τηι εξονομαζο
μενηι Θ(αυ)ητι τηι και Ασκληπιαδι εις το χορηγειν ταυτηι καθ ετος ολυρων ⌒ ξ και $\overline{αρ}$∠οβ
... ευδοκησασης της τε του Ψαμμεους γυναικος Θαυητος και του αμφοτερων ... μανρεους
... δια τα... τος τα υπαρχοντα αυτωι υποκεισθαι προς το δικαιον της συγγραφης δια τε τουτο και
ηξιωκει .... εισαι αυ(το)ν τας προκειμενας $\overline{αρ}$(∠φ) και ετων δ τας συναγομενας ολ̄ ⌒ σμ
ως της ⌒ ($\overline{αρ}$)∠β τας δε πασας $\overline{αρ}$∠ Ϛσξη, βλαβεων δε και δαπανηματων χ̄κε και εαν
μη απαντωση επι το κριτηριον επισημηναι τωι των ξενικων πρακτορι συντετε ....
την πραξ(ιν) των προκειμενων κεφαλαιων   τα μεν της ενκλησεως εις επιγνωσιν ην απο
τωι ψιντα .. ι ενεκαλου κεκομισθαι το αντιγραφον της εντευξεως εν ... δια του
κατε .... ρου υπη ... ου των δε κατ αυτους προτεθεντων και αλλοτε μεν και τηι β
του προ ... νου ..... και μηδ ... ως η μεν (τ)ου παντος του Ψαμμεου προσεκεκλητο
και δια ....   ρετεν .. παραγινεσθαι αυτον επι το κριτηριον τηι
ενεστωση .... συνχωρηθησεται τ(ωι) Χονουφει το αξιωμα κατακολουθησαντες τοις
προδιει ..... οις και ... εχειν η ... μενοι την αρμοζουσαν τοις ενεστηκοσι επακο
λου .... οποιαν .. ν εκρο ... ων επικεχωρησθαι τωι εντετευχοτι το αξιωμα και
...... ι νο .... πρακτορι σ . ντετε ... την πραξιν των κατ ... νων κεφαλαιων
...... ει

αρ(τε)μιδωρος   δεισα^ω αρτεμιδωρος .... υ.
αν(εγ)νωσται

VERSIONIS SPECIMEN.

Exactori proventuum alienigenarum, qui est in Memphi, commemoratae Scripturae subiungitur exemplar. Rem ergo peragat, uti iudicatum est.

Anno XXXIV, Tybi die XV.

Anno XXXIV, Tybi die V in urbe Memphi Memphitici Nomi, quum Regios proventus administraret Alexander Alexandri filius, atque esset Φιτοαστητορειος Heraclides Heraclidis filius, et Thesmophorius Sogenes Sogenis filius, coniunctis studiis iudicantes iudicia Regia, tum illa ad proventus pertinentia, nec non iudicia privata.

Quum in iudicium venisset Chonuphis filius Pesetii cognominati Psammei, qui, audiente Dia . . . . . Chonuphis filio, dedit libellum, significavit se mutuo dedisse reo per syngrapham alimentariam in Registrum Graphii relatam drachmas argenti quingentas, pro cognominata Thauete, quae alio nomine appellatur Asclepias, ut huic suppeditaret quotannis olyrarum mensuras sexaginta, et argenti drachmas septuagintaduas . . . Consentiente tum Thauete uxore Psammei, tum utrorumque . . . . quum bona ipsius (rei) pignerata essent pro iure syngraphae . . . . ac petiit ut ipse (solveret) praedictas argenti (drachmas quingentas), et pro annis quatuor simul sumtas olyrarum mensuras ducentas quadraginta, ita ut si quaevis mensura constet drachmis argenti duabus, universae argenti drachmae sint 1268. Solvat praeterea pro damnis et expensis aerea talenta quinque. Et nisi ille ad tribunal venerit, significetur Exactori proventuum alienigenarum etc.

ADNOTATIONES

Quantum me hic Papyrus torserit, non est quod dicam. Enimvero lectu est difficilis, multisque scatet lacunis, quae contextum passim abrumpunt; accedit graecitas ipsa barbara voces invisitatas praeferens, ac syntaxis a linguae indole plane abhorrens, ut idearum

series potius ab universo contextu, quam a syntaxis rationibus sit colligenda. Quare posteaquam iterum ac tertio ad hunc Papyrum legendum atque interpretandum accessi, solidasque horas consumpsi, facile vidi conatus meos frustra cessuros esse, neque illius enarrandi fore facultatem, donec alius affinis Papyrus in lucem prodeat, quocum comparari possit. Meorum tamen conatuum rationem redditurus doctis viris exhibui quidquid vel legeram, vel legisse mihi visus eram in Papyro male mulctato. Superest, ut nonnulla adnotem, quibus viam sternam aliis maiora et meliora dicturis.

Lin. 1. Ξενικων πρακτορι) Supra Papyri dorsum item legi τωι εν Μεμφει ξενικων πρακτορι, nec non nonnullas Demoticas siglas. Certe post ξενικων subaudiendum est προσοδων, ut sit Exactor proventuum, quos Rex ab alienigenis percepit. De ξένοις dixi supra p. 50. et seq.

Ibid. Μεμνημενης) Haud placet; nulla tamen probabilior vox mihi succurrit.

Lin. 3. L$\overline{\lambda\delta}$) Ad tempora Ptolemaica certe pertinet hic Papyrus; sed nulla adest peculiaris nota, quae nos de Ptolemaeo certiores reddat. Quodsi eodem in dolio inventus fuit, in quo ceteri etiam delitescebant, dicendus erit pertinuisse ad tempora Philometoris, vel Evergetis; sed infra ad lin. 9. demonstrabo ad annum XXXIV Evergetis referendum esse.

Lin. 4. Χρηματιστειτων) Nullam probabiliorem lectionem eruere potui. Quaecumque demum illa sit, video esse debere participium (nam sequitur accusativus τας βασιλικας) verbi derivati a χρῆμα, χρήματος, quod notet *administrare*.

Lin. 5. Φιτοαστητορειος) Inauditum officium, inaudita vox, quae ex nullis graecis radicibus derivari et componi recte potest. Neque multum proficias, si legas φιλοαστητορειος. Quare suspicatus sum vocem Aegyptiam esse vel eo maxime quod ex articulo φι conflatur; sed quis divinando poterit Aegyptias radices assequi?

Ibid. Θεσμοφοριος) Huiusce derivati solum plurale neutrum frequentatur τὰ Θεσμοφόρια *festa legislativa*, quae in Cereris legislatricis

honorem celebrabantur. Superest ergo, ut θεσμοφόριος sit vir *legislativus*, seu, ut latine loquar, unus ex legislatoribus.

Lin. 6. Κοινευσι) Fortasse pro κοινῇ, vel κοινῶς.

Lin. 8. Διαπσε) Elementum π maxime incertum est. Credo esse nomen appellativum rei in iudicium citati.

Ibid. Ευθυνομενωι) Reus, vide Pap. I. pag. 3. lin. 10.

Lin. 9. Τροφιτιν) Inauditum derivatum, quod a τρέφω verti *alimentariam*; sane contractus infra descriptus eo spectabat, ut alimenta Thaueti suppeditarentur.

Ibid. Αναγραφειταν) Iis, quae de γραφίῳ disputavi in Parte I. pag. 149. sq., adde hunc locum ex quo necessitas Graphici Registri colligitur; nisi enim necessarium fuisset, petitor haud commemorasset hoc adiunctum. Sed non levis inde oritur difficultas. Equidem auctoritatem Parisiensium Papyrorum V et VI secutus constitueram Paniscum in Nomo Peri-Thebarum coepisse die IX Choiach exequi legem de Graphico Registro sibi significatam ab Aristone. Enimvero (iuvat rem iterum confirmare) Ptolemaeus quaesivit a Panisco, ut sibi renunciaret την γινομενην οικονομιαν υπερ των εν τωι Περιθηβας τιθεμενων Αιγυπτιων συναλλαγματων· και ει, καθαπερ επεσταλτο υπ Αριστωνος, δια των κατα τοπων προκεχειρισμενων προς τουτοις υπογραφονται, και απο τινος χρονου το προκειμενον συνεστηκεν *qua ratione ipse se gereret circa Aegyptios contractus in Nomo Peri-Thebarum stipulatos; tum si, quemadmodum per Aristonem iussum fuerat, Officiales in Locis designati ad hoc munus subscriberent contractus; tandem a quonam tempore exequi coepisset rem praedictam.* Tertiae quaestioni ita respondet Paniscus in commemorata Epistola, quae data fuit Lλς τυβι ιγ *anno XXXVI, die XIII Tybi* η εντολη εγδεδοται ημιν εις την ᾱ του αθυρ, ο δε χρηματισμος συνεσταλται απο χοιαχ θ̄ *iussio edita nobis fuit die prima Athyr, ipsa vero res constituta fuit die nona Choiach* (nam vel ipse erravi exscribens συνεσταλται pro συνεσταται, vel emendandum est συνεσταται quaesierat enim Ptolemaeus a quo tempore res συνεστηκεν). Quare recte, ni fallor, constistueram Graphicum Registrum in Nomo

Peri-Thebarum frequentari coepisse die IX Choiach anni XXXVI Philometoris. Atqui Papyrus, quem expendo, anni XXXIV refert contractum ante annos quatuor, scilicet anno XXX, stipulatum in urbe Memphis, eundemque Graphico Registro communitum. Temporum ergo rationes simul pugnant. Dicam ne ocius in urbe Memphis, serius vero Thebis hoc Registrum constitutum fuisse? Sed legislatio eadem et par esse debuit in utroque Nomo. Quae quum ita sint, equidem existimo annum XXXVI. Panisci pertinuisse ad regnum Philometoris, annum vero XXXIV et XXX Papyri, quem illustro, pertinere ad regnum Evergetis; inter utramque epocham intercesserunt anni quinque (vide me in Parte I. p. 142), quare Graphicum registrum recte potuit locum habere in contractu Chonuphii.

Ibid. Αρ) De hisce siglis dixi supra pag. 16. sq.

Ibid. Επι) Verti *pro*; nam *pro* Thaueti alenda contractus initus fuerat.

Lin. 10. Ολυρων) Solent graeci plurali numero scribere ὀλύραι; sic Herodotus II. 36. ἀπὸ ὀλυρέων ποιεῦνται σιτία, et 77 ἀρτοφαγέουσι δὲ ἐκ τῶν ὀλυρέων. Hoc vero tritici genus a vero proprieque dicto frumento distinguunt etiam Papyri. Hic enim olyra commemoratur, at in Parisiensi Papyro II et III. πυρὸς (*frumentum*) divenditus dicitur. Olyram esse *speltam* demonstravit Celsius in *Hierobotan.* P. II. p. 98-101, cui suffragatur Cl. Raffeneau Delille in *Histoire des Plantes cultivées en Égypte* (in *Description de l'Égypte* tom. XIX. p. 47. seq.), qui adversantia loca Herodoti et Diodori Siculi conciliare sategit; eadem etiam opinio probatur Rosenmullero in *Scholiis Criticis ad Exod.* IX. 32, et *Ezech.* IV. 9. Hos ergo auctores adeat lector, nolo enim quae ab aliis recte disputata fuerunt exscribere. Hoc tantum addam, Copticum Interpretem Aegyptium ϭωϯ reddidisse graecum vocabulum ὄλυρα *Exod.* IX. 32; porro radix ϭοϯ notat *impurum*, *spurcum esse*, adeoque *abominandum*; erit ne ergo impurior frumenti species?

Ibid ⁿ) Haec sigla certe indicabat mensurae genus, scilicet

artabam; hac enim mensura solebant Aegyptii metiri varias frugum species, uti demonstrare possem cum ex Papyris Parisiensibus, tum ex vetustis scriptoribus. Praeter artabas sexaginta, reus pendere quotannis debebat drachmas argenteas LXXII. Gravissimum sane foenus, si cum sorte quingentarum drachmarum comparetur. At meminisse iuvat hanc fuisse syngrapham alimentariam, quae fortasse respondebat nostris censibus, ut aiunt, *vitalitiis*, ita ut, demortua Thauete, sors ipsa quingentarum drachmarum cederet reo.

Lin. 11. Ευδοκησαστης) In Papyro VIII. lin. 38, et in Antigrapho Grey lin. 6. item occurrit verbum εὐδοκεῖν pro *assentiri contractui* eumque probare ac ratum habere.

Lin. 15. Ως της) Sequitur sigla, quae artabam notat, tum excidit illa quae argentum designat, solaque superest quae indicat drachmas.

Lin. 16. Reliqua ad finem usque qui velit enarrare, in multas coniecturas se coniiciet, quarum facile illum poenitebit. Quare prudentissimum esse ratus ab his abstinere, finem hic facio illustrandi Papyri.

PAPYRUS XIV.

Edita iam prima Papyrorum parte, nunciatum mihi fuit inter varia Papyrorum, ut ita dicam, rudera inventas fuisse aliquot lacinias unius eiusdemque Papyri graeci; has vero simul conferenti mihi novus se se obtulit Papyrus, frequentibus tamen lacunis scatens, quem ceteris decem et tribus a me in Praefatione recensitis adderem. Quum nonnullae lineae inter varia, quae inveni, fragmenta desiderentur, nequeo Papyri altitudinem constituere; eius latitudo est metrorum 0,13. Incipit

. . . . ν φιλων . . ι επιστ
. . . .
. . . . του Ωρου . αρασχιστου
. . . . πολεως της . εγαλης

Suppleo

Επι N. N. των Φιλων , και επιστ
ατου του Περιθηβας.
παρα Αμενωθου του Ωρου παρασχιστου
των απο Διοσπολεως της μεγαλης

Quum N. N. esset unus ex Amicis, et Praefectus Peri-Thebarum (hic libellus ipsi oblatus fuit) ab Amenothe filio Hori Paraschista Diospolis Magnae. Quare Papyrus exhibet libellum supplicem ab eodem illo Amenothe Hori filio Paraschista Diospolitano oblatum, qui citatur in nostro Papyro VIII. Sane adest etiam fragmentum vix paucarum vocum, in quo lego τωι ναL παυ . . *anno LI Payni* tum ομολογι . . . *pactum conventum;* atqui in Papyro VIII idem pactum commemoratur stipulatum anno LI die XIII Payni. Tandem Papyrus ita desinit διο αξιω συνταξαι διαταξαι κατα της αρχης ε(ιναι), καν τι οια προφερομαι εξοι μεν εκθειναι το δικαιον, περι δε του . . . δια . . . Ευτυχει *quare peto, ut iubeas constituere res uti ab initio; et, si ea quae dico revera sunt eiusmodi, liceat quidem obtinere ius, de (damno) vero etc. Vale.* Quae quum ita sint, quisque videt hunc Papyrum nedum abludere a ceteris, verum plane consonare cum octavo, adeoque recte constare ea quae de mutua omnium Papyrorum eodem in dolio inventorum affinitate disserebam p. 15. Partis Primae. Specimen characteris exhibui aere incisum ut Museorum Praefecti facile recognoscere possint si qua alia eiusdem Papyri fragmenta suis in Museis serventur, quae cum nostris componi possint.


INDEX

NOMINUM PROPRIORUM.


INDEX
GRAECITATIS.

INDEX RERUM


Sci. Mor. St. e Pro.




Mor. St. e Fis. Tom.



St. Tom. 33. pag. 80. Tav. III.





Papyrus I



Accad. R. di Torino Classe di Sc. Mor. Tav. V.

Papyrus L




N 3.
1150.
540.
70.
660.
280.
180.
90
150.
300.
100.
1890.
1630.
N 4.
24000.
13700.
10300.
N 5.
2.
14.
21.
58.
N 6.
N 7.
tal 1.
N 9.
tal 3.
N 10.
aeris 3.
N 11.